



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Sextadecima. De consequentibus vnionem quantum ad ea, quæ
conueniunt Christo secundum esse & fieri, in duodecim articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

QVÆSTIO SEXTADECIMA.

De consequentibus vnionem quantum ad ea, quæ conueniunt Christo secundum esse & fieri, in duodecim articulis diuisa.

Deinde considerandum est de his, quæ consequuntur vnionem. Et primo quantum ad ea, quæ conueniunt Christo secundum se. Secundo de his, quæ conueniunt Christo per comparationem ad Deum patrem. Tertio de his, quæ conueniunt Christo per comparationem ad nos.

Circa primum, duplex consideratio occurrit: Prima quidem de his, quæ conueniunt Christo, secundum esse, & fieri. Secunda de his, quæ conueniunt Christo secundum rationem vnitatis.

Circa primum queruntur duodecim.

Primo, vtrum hac sit vera, Deus est homo.

Secundo, vtrum hac sit vera, Homo est Deus.

Tertio, vtrum Christus possit dici homo Dominicus.

Quarto, vtrum ea, quæ conueniunt Filio hominis, possint predicari de Filio Dei, & e contrario.

Quinto, vtrum ea, quæ conueniunt Filio hominis, possint predicari de diuina natura: & de humana ea, quæ conueniunt Filio Dei.

Sexto, vtrum hac sit vera, Filius Dei factus est homo.

Septimo, vtrum hac sit vera, Homo factus est Deus.

Octauo, vtrum hac sit vera, Christus est creatura.

Nono, vtrum hac sit vera, iste homo, demonstrato Christo, incipit esse, vel fuerit semper.

Decimo, vtrum hac sit vera, Christus, secundum quod homo, est creatura.

Vndecimo, vtrum hac sit vera, Christus, secundum quod homo, est Deus.

Duodecimo, vtrum hac sit vera, Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

Ratio ordinis.

Tota hæc quaestio agens de consequentibus vnionem, & conuenientibus Christo secundum se, est de modo vere, proprie & Catholice loquendi in mysterio Sacros. Inarnationis. Proccedit autem S. D. à prioribus & notioribus ad ea quæ posteriora & minus nota sunt. Primum autem & notissimum est naturam quamlibet concrete sumptam de suo supposito predicari; & quia vna & eadem persona diuina est suppositum diuinæ, & humanæ naturæ; illius quidem naturalitate per se primo & ab æterno; huius vero per voluntariam assumptionem secundario & in tempore; ideo primo queritur de veritate huius propositionis: *Deus est homo*; in qua dictio *Deus* supponit pro persona Filij Dei, vt primo existentis in diuina natura. Secundo queritur de veritate huius propositionis: *Homo est Deus*; in qua dictio illa *Homo* supponit pro eadem persona, vt est etiam secundario suppositum humanæ naturæ. Ex quibus sequitur alia difficultas ex prædictarum definitione soluenda, videlicet: *An Christus possit dici homo Dominicus*; nam, vt ait S. Doct. art. 3. quod predicatur de Filio Dei essentialiter, non potest proprie & vere dici de eo denominatiue; de Christo autem Filio Dei predicatur essentialiter *Deus* & *Dominus*, & ideo non debet denominatiue dici *homo Dominicus*. Deinde S. Doct. transit ad reliqua prædicta prædictis duobus posteriora, quæ sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt conuenientia vni supposito vtriusque naturæ, scilicet Filio Dei & filio hominis; & de his in communi differit in quarto articulo. Quædam sunt naturis conuenientia, scilicet di-

A uinz vel humanæ, & de his agit in quinto articulo. Postremo ab articulo sexto, disputationem inchoat de particularibus quibusdam propositionibus; & primo de ijs, quæ subjectum habent absolutum, in articulo sexto, septimo, octauo & nono; secundo de his, quarum subjectum additæ habet reduplicationem aut specificationem in reliquis tribus articulis: quorum ordinem in singulorum exordiis indicabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Verum hac sit vera: Deus est homo.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod hac sit falsa, Deus est homo. Omnis enim propositio affirmatiua in materia remota est falsa. Sed hæc propositio, *Deus est homo*, est in materia remota: quia forma significata per subjectum, & prædicatum, sunt maxime distantes. Cum ergo propositio prædicta sit affirmatiua, videtur, quod sit falsa.

Præterea: Magis conueniunt tres persona diuina adinuicem, quam humana natura, & diuina. Sed in mysterio Trinitatis vna persona non predicatur de alia: non enim dicimus, quod pater est filius, vel e contrario. Ergo videtur, quod nec humana natura possit predicari de Deo, vt dicatur, quod Deus est homo.

Præterea: Athanasius dicit, quod, sicut anima, & corpus vnus est homo: ita Deus, & homo, vnus est Christus. Sed hæc est falsa, Anima est corpus: ergo etiam hæc est falsa, Deus est homo.

Præterea: Sicut in Prima parte habitum est, quod predicatur de Deo, non relatiue, sed absolute, conuenit toti Trinitati, & singulis personis. Sed hoc nomen homo non est relatiuum, sed absolutum. Si ergo vere predicatur de Deo, sequeretur, quod tota Trinitas, & qualibet persona sit homo, quod patet esse falsum.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 2. Qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Et sic ille, qui est in forma Dei, est homo. Sed ille, qui est in forma Dei, est Deus. Ergo Deus est homo.

Respondeo dicendum, quod ista propositio, *Deus est homo*, ab omnibus Christianis conceditur: non tamen ab omnibus secundum eandem rationem. Quidam enim hanc propositionem concedunt, non secundum propriam acceptionem horum terminorum. Nam Manichæi verum Deum dicunt esse hominem, non quidem verum: sed similitudinarium, in quantum dicunt Filium Dei corpus pharasticum assumpsisse: vt sic dicatur *Deus homo*, sicut curprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis. Similiter etiam illi, qui posuerunt, quod in Christo anima, & corpus non fuerunt vnita, non possunt dicere, quod Deus sit verus homo: sed quod dicatur homo figuratiue, ratione partium. Sed vtraque harum opinionum supra improbara est. Alij vero e conuerso ponunt veritatem ex parte hominis: sed negant veritatem ex parte Dei.

Dicunt enim *Christum, qui est Deus, & homo, esse Deum non naturaliter, sed partiuipatiue, scilicet per gratiam: sicut, & omnes sancti viri dicuntur dij: excellentius tamen Christus præ alijs, propter gratiam abundantiorum. Et secundum hoc, cum dicitur, Deus est homo, h. Deus, non supponit verum, & naturalem Deum. Et hæc est hæresis Photini, quæ supra improbara est. Alij vero concedunt hanc propositionem cum veritate vtriusque termini, ponentes Christum, & verum Deum esse, & verum hominem: sed tamen veritatem predicationis non saluant. Dicunt enim, quod homo predicatur de Deo per quandam coniunctionem, vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis, aut in habitationis. Et sic posuit Nestorius Deum hominem esse: vt per hoc nihil aliud significetur, quæ quod*

Deus

Deus est homini coniunctus tali coniunctione, quod homo inhabitetur à Deo, & vniatur ei secundum affectum, & secundum participationem auctoritatis, & honoris diuini. Et in similem errorem incidunt quicumque ponunt duas hypostasies, vel duo supposita in Christo: quia non est possibile intelligi, quod duorum, quae sunt secundum suppositum, vel hypostasim distincta, vnum proprie praedicetur de alio, sed solum secundum quandam figuratiuam locutionem, in quantum in aliquo coniunguntur: puta si dicamus Petrum esse Ioannem, quia habent aliquam coniunctionem adinuicem. Et haec etiam opiniones supra improbatae sunt. Vnde supponendo secundum veritatem Catholicae fidei, quod vera natura diuina, vnita est cum vera natura humana, non solum in persona, sed etiam in supposito, vel hypostasi, dicimus hanc propositionem esse veram, & propriam, Deus est homo, non solum propter veritatem terminorum (quia scilicet Christus est verus Deus, & verus homo) sed etiam propter veritatem praedicationis. Nomen enim significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: sicut hoc nomen homo potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen Deus ex ipso modo sua significationis potest supponere pro persona Filij Dei, vt etiam in Prima parte habitum est. De quolibet autem supposito alicuius naturae potest vere, & proprie praedicari nomen significans illam naturam in concreto: sicut de Sorte, & Platone proprie, & vere praedicatur homo. Quia ergo persona filij Dei (pro qua supponit hoc nomen Deus) est suppositum naturae humanae, vere, & proprie hoc nomen homo, potest praedicari de hoc nomine Deus, secundum quod supponit pro persona Filij Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod quando forma diuersae non possunt conuenire in vnum suppositum, tunc oportet, quod propositio sit in materia remota, cuius subiectum significat vnā illarum formarum, & praedicatum aliā. Sed quando duae formae possunt conuenire in vnum suppositum, non est materia remota, sed naturalis, vel contingens: sicut cum dico, album est musicum. Natura autem diuina, & humana, quamuis sint maxime distantes: tamen conueniunt per incarnationis mysterium in vno supposito, cui neutra illarum in se per accidens, sed per se. Et ideo haec propositio, Deus est homo, non est neque in materia remota, neque in materia contingenti: sed in materia naturali. Et praedicatur homo de Deo, non per accidens sed per se sicut species de sua hypostasi: non quidem ratione formae significatae per hoc nomen Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanae naturae.

Ad secundum dicendum, quod tres personae diuinae conueniunt in natura, distinguuntur tamen in supposito: & ideo non praedicantur de inuicem. In mysterio autem incarnationis naturae quidem, quia distinctae sunt, de inuicem non praedicantur, secundum quod significantur in abstracto (non enim natura diuina est humana,) sed quia conueniunt in supposito, praedicantur de inuicem in concreto.

Ad tertium dicendum, quod anima, & caro significantur, vt in abstracto sicut diuinitas, & humanitas. In concreto vero dicuntur animatum, & carneum, siue corporeum, sicut, & ex alia parte Deus, & homo. Vnde vtrouque abstractum non praedicatur de abstracto: sed solum concretum de concreto.

Ad quartum dicendum, quod hoc nomen homo praedicatur de Deo ratione vniōis in persona: quae quidem vniō relationem importat. Et ideo non sequitur regulam eorum nominum, quae absolute praedicantur de Deo ab aeterno.

Forma Textus.

REFERT primo S. D. communem Christianorum omnium, tam Catholicorum, quam hereticorum confessionem de veritate huius propositionis: Deus est homo, cum multiplici differentia quo ad rationem affirmandi seu confitendi dictam veritatem: secundo respondet quaesito vnica conclusione affirmatiua,

Quo ad primum, dicitur primo, in communi propositionem hanc: Deus est homo, ab omnibus Christianis concedi, non tamen secundum eandem rationem: Secundo referuntur tria genera errorum in afferenda ratione dictae propositionis, iuxta tria ad eius compositionem concurrentia; quae sunt; subiectum, praedicatum & copula.

Primum genus erroris est circa veritatem praedicti, videlicet Homo, cuius erroris duae sunt partes, siue species: Altera est haeresis Manichaeorum, dicentium Verbum Dei esse hominem, non quidem verum, sed similitudinarium. Explicatur & probatur hanc eorum fuisse sententiam; quia asserbant Dei filium corpus phantasticum assumpsisse; ex quo sequitur, quod sicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis realem secundum figuram, &c. ita Deus dicitur homo, quia habet similitudinem phantasticam hominis. Altera haeresis est dicentium, in Christo animam & corpus non fuisse vnita: Hi enim non possunt dicere, quod Deus sit verus homo, sed quod sit homo figuratiue, ratione partium. Contra duas has haereseas assert S. D. ea, quae supra dixit q. 2. a. 5. & q. 5. art. 1. & 2. Secundum genus erroris est circa veritatem subiecti, videlicet Deus, in quo Photinus versabatur, dicens Christum, qui est Deus & homo, non esse hominem naturaliter, sed participatiue scilicet per gratiam, &c. adeo vt cum dicitur Deus est homo, ly

Deus non supponeret verum & naturalem Deum. Tertium genus erroris est circa esse significatum per copulam verbalem dictae propositionis, scilicet per verbum est: cuius sunt duae quasi species, quae tamen in vnā coincidunt. Primum error fuit Nestorij, dicentis hominem de Deo praedicti per quandam coniunctionem vel dignitatem vel auctoritatem vel etiam affectionem aut in habitationem, ita vt hac propositione: Deus est homo, nihil aliud significetur, quam quod Deus est homini coniunctus tali coniunctione, quod homo inhabitetur à Deo &c. vt in textu. Secundus error huic simiis fuit eorum, qui ponunt duas hypostasies, vel duo supposita in Christo. Probatur hunc errorem esse similem: quia non est possibile, quod duorum quae sunt secundum suppositum vel hypostasim distincta, vnum proprie praedicetur de alio, sed solum secundum quandam figuratiuam locutionem, in quantum in aliquo coniunguntur, puta si dicamus Petrum esse Ioannem, quia habent aliquam coniunctionem adinuicem.

Quo ad secundum, **C**ONCLUSIO est: Haec propositio est vera, & propria: Deus est homo, non solum propter veritatem terminorum (quia scilicet Christus est verus Deus, & verus homo) sed etiam propter veritatem praedicationis. Probatur: quia de quolibet supposito alicuius naturae potest vere & proprie praedicari nomen significans illam naturam in concreto: at suppositum, pro quo supponit hoc nomen Deus, est suppositum humanae naturae; ergo hoc nomen homo potest vere & proprie praedicari de hoc nomine Deus, dicendo: Deus est homo. Maior declaratur exemplo: sicut de Sorte & Platone proprie & vere praedicatur homo. Minor vero probatur: quia hoc nomen Deus, hic supponit pro persona filij Dei: at haec est suppositum naturae humanae; ergo suppositum, pro quo supponit hoc nomen Deus, est suppositum humanae naturae. Maior haec declaratur: quia hoc nomen Deus ex ipso modo suae significationis potest supponere pro persona filij Dei, vt ostensum est in Prima parte. Minor probatur ex supposita Catholicae fidei veritate, quod vera natura diuina vnita est cum vera

veræ natura humana, non solum in persona, sed etiam supposito, vel hypostasi.

Expositio Textus.

DISSERIT hic late Suar. *diff. 35.* de communicatione idiomatum, quæ consecuta est ex mytherio Incarnationis, vbi examinata ea, quæ per plures huius quæstionis articulos explicat S. D. quod idem præstat Val. *super hoc artic.* & ex parte Vafq. *diff. 63.* & Bell. *tom. 1. libr. 3. de Incarnat. c. 8.* & seq. nos ea, quæ necessaria sunt, suis locis breuiter attingemus.

Vide etiam ea, quæ notat Cai. *circa respons. ad 4. D. Thom.*

Controuersia Vnica.

An hæc propositio: Deus est homo, sit propria & per se ac necessaria?

Sens. Doct.

DVRANDVS in 3. *diff. 4. q. 2.* duo dicit. Primum est, hæc propositionem: Deus est homo, nõ esse ita propriam, sicut hæc: Petrus est homo, sed aliquid habere improprietatis. Secundum est, illam non esse per se, & in materia naturali, ac necessaria, sed in materia contingenti: quod secundum prius asseruerat Scotus in 3. *diff. 7. q. 2.* quem secuti sunt Capr. *diff. 4. q. 2.* ad argumenta Scoti contra secundam concl. Gabriel *diff. 7. q. vnica,* Marilius ead. *diff. 9. 6. a. 3. ad 5.*

Oppositam sententiam habet S. D. hic ad primum; quam sequuntur ac optime defendunt Caiet. Med. & Val. *super hoc a. Ferrar. in 4. cont. gent. cap. 45.* Suarez & Vafquez *locu supra notatis,* & Aluar. *diff. 69.*

DVA sunt huius Controv. partes. PRIMA est: An hæc propositio: Deus est homo, sit propria: In qua solus vniuersis Theologis aduertatur Durandus: cuius opinionem vt falsam & erroneam confutat erudite Medina, & post eum Suar. in *Comm. human. a. & Vafq. diff. 63. c. 3.* & alij recentiores. Præcipua contra Durandum argumenta sunt. Primum: Christus eandem habet specie naturam humanam cum cæteris hominibus, & est homo vniuoce nobiscum; igitur non minus proprie est hæc propositio: Christus est homo, quam hæc: Petrus est homo. Antecedens quo ad primam partem est de fide, & patet ex q. 5. Secunda vero eiusdem antecedentis pars sequitur euidenter ex prima, & probat eam Suar. in *Comm. ad hunc a. dubio 2.* Secundum argumentum est: Si dicta propositio est impropria, vel est propter improprietatem prædicati, vel propter improprietatem subiecti, aut propter improprietatem copulæ seu vnionis: at nullum horum dici potest; ergo. Maior probatur: quia primum implicat hæresim Manichæorum: Secundum hæresim Phoini: Tertium hæresim Nestorij, vt patet in Textu. Tertium argumentum est: Si ea propositio non est propria, igitur etiam propositiones enuntiantes actiones, & passiones humanitatis, & proprietates hominis, essent improprie; at hoc asserere temerarium est & errori proximum; ergo & illud. Maior siue conditionalis assumpta est euidens. Minor autem probatur: Primo quia istæ propositiones: Deus vel Dei Filius natus est de Virgine, est Filius Virginis, passus est, crucifixus & mortuus est, absque vlla absurditate sumi possunt in sensu proprio & maxime consono vnioni hypostaticæ; ergo non sine temeritate nec absque periculo erroris dici possunt improprie. Secundo probatur: quia videtur hæc veritas expresse definita in Concilio Later. sub Martino 5. *consult. 5. can. 3.* his verbis: *Si quis secundum S. Patres non confiteatur proprie, & secundum veritatem Dei genitricem Sanctam, semperque Virginem,*

Resolutio prima part. Hanc propositionem: Deus est homo, esse veram & propriam probatur multis argumentis.

A & immaculatam Mariam, &c. damnatus sit: Quibus verbis decreuit concilium Beatissimâ Virginem esse vere ac proptie Dei genitricem, & ita ab omnibus esse nuncupandam: quod si B. Virgo proprie dicitur mater Dei, sequitur etiam e contra, Deum esse proprie Virginis filium, & proptie ex ea conceptum & natum, ac proinde etiam esse hominem proprie. Alias similes Conciliorum definitiones & dicta Patrû lege, si lubet, apud Vafq. in *allegata disput. 63. c. 3.* Quibus adde Concilium Ephes. Primum, definiens B. Virgin. esse vere & proprie Matrem Dei. Quartum argumentum est: Ex vnione animæ rationalis & corporis resultat homo proprie; at in filio Dei Incarnatio est vnio animæ rationalis cum corpore; ergo ibi est proprie homo: at non sunt ibi duo supposita, sed vnũ tantum; ergo illud vnũ suppositum, nõ tantum est proprie Deus, sed etiam est proprie homo. Et confirmatur: quia Deus Incarnatus habet vere ac proprie naturam humanam personaliter sibi coniunctam; ergo est vere & proprie homo, non minus quam Petrus aut Paulus sit aut dicatur homo. Plures alias probationes afferunt prænominati recentiores.

Sed duo notanda sunt, vt Dur. sophismata facile diluantur. Primum est, non solas propositiones essentielles, in quibus est maxima vnitas inter subiectum & prædicatum, sed etiam accidentales, in quibus est minima vnitas, esse proprias, vt hic aduertit Med. Secundum est, differre suppositura creatum & connaturale ac proprium alicuius naturæ à supposito diuino terminante humanam naturam, quod illud non præcedit naturam, cuius est suppositum, sed ea posterior est instanti naturæ: suppositum autem diuinũ: præcedit humanitatem duratione, cum sit ab æterno, humanitas autem in tempore sit producta, & illi personaliter copulata: ex quo sequitur vt Verbum post assumptam humanitatem non tantum dici possit homo, sed etiam humanatus, Petrus autem, qui ordine naturæ posterior est humanitate sua indiuidia, dici possit homo, non autem humanatus. Vide infra D. Thom. a. 3. ad 2.

SECUNDA PARS Controuersia. An scilicet dicta propositio sit per se, & in materia naturali? Pro huius partis resolutione supponenda sunt primo ea, quæ late diximus I. q. 39. a. 4. Contr. 2. de suppositione huius nominis, Deus. Secundo notanda sunt quinque distinctiones: Prima distinctio est: Nomen illud Deus, quod est subiectum huius propositionis: Deus est homo, potest dupliciter considerari: Vno modo absolute, quatenus scil. secundum suam naturalem suppositionem supponit pro habente Deitatem absque determinatione ad hoc, vel ad illud habens Deitatem: vt cũ dicitur Deus Charitas est: Alio modo considerari potest, vt contractum & determinatum per illud prædicatum homo ad vnã Deitatis personam, puta filium, eo quod talia sunt subiecta, quo ad suppositionem, qualia permittuntur à prædicatis: vt cum dico Deus generat, nomen illud Deus supponit pro solo patre; vt diximus cum D. Thom. & alijs in 1. loco sup. notato.

Secunda distinctio est: Hoc nomen Deus in hac propositione: Deus est homo, quatenus supponit pro persona Verbi, tripliciter potest considerari. Primo quo ad formam significatam, quæ est Deitas: secundo quo ad personam Verbi, pro qua supponit, tertio quo ad vtrumq; simul, scil. formam & suppositum.

Tertia distinctio est: Hoc nomen Deus consideratum quo ad personam Verbi, pro qua supponit, dupliciter sumi potest: Vno modo, quatenus supponit

Propositio nem hanc: Deus est homo, secundum quædam suppositiones huius nominis, Deus esse per accidens simpliciter aut esse per se, & in materia naturali.

supponit pro persona filij Dei, vt est hypostasis A diuina præcisè: Alio modo, vt supponit pro persona filij Dei, vt etiam est hypostasis humana, siue subsistens in humana natura; quæ est vera & propria suppositio huius termini *Deus*, in hac propositione, *Deus est homo*.

Quarta distinctio est: Triplex est materia propositionum: Prima est necessaria seu naturalis, quando extrema necessariam & naturalem habent connexionem adinuicem: vt in hac: Homo est rationalis, vel homo est risibilis. Secunda est contingens, quando scilicet extrema contingenter, seu accidentaliter vniuntur adinuicem: vt in hac: homo est grammaticus. Tertia est remota, quando scilicet extrema sunt incompatibilia in eodem supposito, vel pugnant adinuicem: vt in B hac: homo est lapis, vel homo est rudibilis.

Quinta distinctio: Duplex est propositio per se, quædam, quæ est per se ratione formæ significatæ per nomen positum à parte subiecti: vt hæc, homo est rationalis, vel homo est risibilis: quædã est per se ratione suppositi tantum & non ratione formæ; de qua nullum proferri potest exemplum, nisi in materia Incarnationis; in qua vnum & idẽ est suppositum intrinsecum duarum naturarum substantialium, diuinæ scilicet & humanæ; igitur Hæc propositio: *Deus est homo* est per se, non ratione formæ sed ratione suppositi; quia scilicet ratio, propter quam hoc prædicatum *homo* conuenit huic subiecto *Deus*, non est forma seu natura diuina, sed est suppositum Deitatis, vt subsistens in C humanitate. Differunt hæc propositiones: Nam propositio, quæ est per se ratione formæ significatæ, est vera cum reduplicacione termini positi à parte subiecti: Sicut hæc: homo est rationalis siue risibilis, est vera cum reduplicacione subiecti, dicendo homo in quantum homo est rationalis aut risibilis: cuius ratio est; quia reduplicacio transfert subiectum, quod reduplicatur, in naturam prædicati: prædicatum autem tenetur formaliter. Nam, vt ait Caiet. cum dico: homo in quantum homo est rationalis, vel risibilis, idem est, ac si dicerem: homo in quantum est homo, est rationalis: vbi vides subiectum illud homo fieri prædicatum, dicendo, in quantum est homo: hac autem D loquendi forma denotatur humanitatem, quæ forma quædam est, esse rationem coniunctionis huius prædicati, quod est rationale vel risibile, cum hoc subiecto, quod est homo. Propositio vero, quæ est per se tantum ratione suppositi intrinseci, non est vera cum reduplicacione subiecti. Hæc enim est falsa: *Deus, in quantum Deus, est homo*: nam, vt patet ex dictis, significaretur Deitatem esse rationem necessariam coniunctionis humanæ naturæ cum Deo; quod est falsum: & eadem ratione falsa est ista: *Verbum, in quantum Verbum, est homo*; quia dictio illa *in quantum* reduplicatiue sumpta denotat formam significatam nomine Verbi, quæ est proprietas hypostatica Verbi constitutiua, esse rationem necessariam prædicati, cum subiecto. Si autem E dictio illa *in quantum* sumeretur specificatiue, vera esset hæc propositio: *Verbum in quantum Verbum, est homo*: quia sic nihil aliud denotaretur, quam Verbum secundum propriam personalitatem subsistere in humana natura; quod verissimum est.

PRIMA CONCL. Hæc propositio: *Deus est homo, est aque propria, sicut hæc: Petrus est homo*. Hæc est contra Durandum, & patet ex dictis in prima parte Cōtrouersia.

SECUNDA CONCL. In hac propositione: *Deus est homo, nomen illud Deus, si sumatur absolute, prout se suppo-*

nit pro habente Deitatem indistincte, erit propositio per accidens. Probat: quia accidit Deo esse hominem ratione alicuius hypostasis diuinæ, sicut accidit animali esse hominem ratione alicuius animalis, quod est homo: sed hæc non est vera & propria suppositio huius nominis *Deus* in dicta propositione, vt hic etiam aduertunt expostores post D. Thomam.

TERTIA CONCL. Si in eadem propositione sumatur hoc nomen *Deus*, vt supponit pro persona Verbi ratione forma significatæ, quæ est diuina natura, aut ratione formæ & suppositi simul, non est illa propositio per se, & in materia naturali. Probat: Primo: quia omnis propositio per se, ratione formæ significatæ per terminum positum à parte subiecti, est vera cum reduplicacione eiusdem termini: at hæc propositio, *Deus est homo*, non est vera cum hac reduplicacione, in quantum Deus; ergo. Maior & Minor patent ex supra dictis. Secundo in omni propositione per se ratione formæ prædicatum est de ratione subiecti intrinseca; sed in hac propositione prædicatum nõ est de ratione subiecti; ergo. Maior patet. Minor probatur: quia humanitas non est de intrinseca ratione Dei, aut alicuius diuinæ personæ.

QUARTA CONCL. Si in dicta propositione sumatur hoc nomen *Deus*, vt supponit pro persona Verbi, vt est hypostasis diuina præcisè, est propositio per accidens. Probat: quia persona Verbi vere dicitur, & est homo, non in quantum est hypostasis diuinæ naturæ, sed prout est hypostasis assumptæ humanitatis.

QUINTA CONCL. Si in dicta propositione, videlicet *Deus est homo, nomen hoc Deus supponat pro persona filij Dei, vt est subsistens in assumpta humanitate, siue vt est vnita personaliter humanitati, & vt est humana persona, est propositio per se ratione suppositi in materia naturali*: Probat: quia sic prædicatur homo de sua hypostasi. Secundo probatur: quia ad propositionem per se ratione suppositi in materia naturali sufficit, vt formæ significatæ per extrema propositionis conueniant per se, siue substantialiter in vnum suppositum, ita vt subsistat vtraque forma, seu natura vna eiusdem suppositi subsistentia: quod ex eo patet; quia subiectum stat materialiter pro supposito, eo quod subiectum habet rationem materiam, prædicatum autem, cum habeat rationem formæ, sumitur formaliter; ergo, vt illa propositio *Deus, aut filius Dei est homo*, sit per se in materia naturali, satis est, vt prædicatum conueniat subiecto ratione suppositi, quamuis illi non conueniat ratione formæ. Tertio probatur: quia veritas dictæ propositionis fundatur in vnione hypostatica, quæ est vnio substantialis, secundum quam Christus est persona humana: Non minus est per se hæc: *Iesus est homo*: sed hæc manifeste est per se in materia naturali; ergo & illa. Maior probatur: quia nomen *Deus* in dicta propositione supponit pro filio Dei Incarnato, qui est Iesus Christus; qui est persona composita ex duabus naturis, & est persona diuina & humana. Minor probatur: quia in hac propositione *Iesus est homo*, subiectum significat suppositum humanæ naturæ, & formaliter importat humanam naturam vnitam diuinitati in eadem persona: at omnis propositio, in qua species prædicatur de suo supposito, est per se & in materia naturali; ergo. Alias probationes lege, si vis, apud Aluar. & alios recentiores.

VLTIMA CONCL. Supposito mysterio Incarnationis, hæc propositio: *Deus est homo, est vera proprie, & per se, in materia naturali, & vt talis simpliciter admittenda*. Hæc sequitur euidenter ex dictis.

CONTRA

CONTRA primam concl. sunt argumenta Dur. A
quæ refert & soluit Med. & quædam etiam Suar.
in Comm. & Vasq. in allegata d. 1. p. 63. cap. 4.

CONTRA quartam, & vltimam Concl. sunt
argumenta Scoti & Dur. quæ referunt & soluant
Cai. Med. Suar. Vasq. & Aluar. locis supra notatis.
Quibus tamen exijs, quæ diximus facile satisfiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum hac sit vera. Homo est Deus.

3. d. 7. qu. 1.
art. 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod hac sit fal-
sa, homo est Deus. Deus enim est nomen incommuni- B
cabile. Sed Sap. 13. reprehenduntur idolatra, de hoc, quod
hoc nomen Deus, quod est incommunicabile, lignis, & la-
pidibus imposuerunt. Ergo pari ratione videtur esse incon-
ueniens, quod hoc nomen Deus predicetur de homine.

Præterea: Quicquid predicatur de predicato, predica-
tur de subiecto. Sed hac est vera. Deus est Pater, vel Deus
est Trinitas. Si ergo hac sit vera, homo est Deus, videtur,
quod hac etiam sit vera, homo est Pater, vel homo est Tri-
nitas. Quas quidem patet esse falsas: ergo, & primam.

Præterea, In Psalm. dicitur. Non erit in te Deus recens.
Sed homo est quiddam recens: non enim Christus semper
fuit homo. Ergo hac est falsa, Homo est Deus.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 9. Ex quibus est Chri-
stus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedi-
ctus in secula. Sed Christus secundum carnem est homo. C
Ergo hac est vera, Homo est Deus.

Respondeo dicendum quod supposita veritate vtriusque
naturæ, diuinæ scilicet, & humanæ, & vniione in persona,
& hypostasi, hac est vera, & propria, Homo est Deus, sicut
& ista, Deus est homo. Hoc enim nomen homo, potest sup-
ponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ: & ita potest
supponere pro persona filij Dei, quam dicimus esse hyposta-
sim humanæ naturæ. Manifestum est autem, quod de per-
sona filij Dei vere, & proprie predicatur hoc nomen Deus,
vnde in prima parte habitum est. Vnde relinquatur, quod hac
sit vera & propria, Homo est Deus.

Ad primum ergo dicendum, quod idolatra attribue-
bant nomen Deitatis lapidibus, & lignis, secundum quod
in sua natura considerantur: qui putabant in illis aliquid
numinis esse. Nos autem non attribuimus nomen Deitatis
hominem secundum humanam naturam: sed secundum D
suppositum æternum, quod est etiam per vniõnem supposi-
tum humanæ naturæ: vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen Pater, præ-
dicatur de hoc nomine Deus secundum quod hoc nomen
Deus supponit pro persona Patris: sic autem non predica-
tur de persona filij: quia persona filij non est persona Pa-
tris. Et per consequens non oportet, quod hoc nomen Pater,
predicatur de hoc nomine homo, de quo predicatur hoc no-
men Deus: in quantum huius homo supponit pro persona filij.

Ad tertium dicendum, quod licet humana natura in
Christo sit quiddam recens: tamen suppositum humana
naturæ non est recens, sed æternum. Et quia hoc nomen
Deus, non predicatur de homine ratione humanæ naturæ, E
sed ratione suppositi, non sequitur, quod ponamus Deum
recentem. Sequeretur autem, si poneremus, quod homo
supponit suppositum creatum, secundum quod oportet dæ-
cere eos, qui in Christo ponunt duo supposita.

Forma Textus.

CONCL. est: Supposita veritate vtriusque naturæ,
diuinæ scilicet & humanæ, & vniõne in persona &
hypostasi, hac est vera & propria: Homo est Deus sicut i-
sta: Deus est homo. Probatur: de persona filij Dei
vere & proprie predicatur hoc nomen DEVS:
ergo hac est vera & propria: homo est Deus. An-
tecedens patet ex dictis in prima parte, quæst. 39.
Naz. in D. Thom. 3. partem.

art. 3. & 4. Consequentia vero probatur: quia
hoc nomen homo potest supponere pro persona
filij Dei: ergo. Probatur hoc assumptum: quia
hoc nomen, homo, potest supponere pro qua-
libet hypostasi humanæ naturæ: at quædam hy-
postasis humanæ naturæ est persona filij Dei: er-
go hoc nomen, homo, potest supponere pro per-
sona filij DEI.

Expositio Textus.

SICVT diximus propositionem illam: Deus est
homo esse per se in primo modo ratione suppo-
siti: ita de hac propositione Homo est Deus dicen-
dum est eam esse per se in primo modo ratione
suppositi diuini, pro quo supponit hoc nomen
homo in dicta propositione, supposito mysterio
Incarnationis, vt ait S. D. in textu. Nec aliud pro
hac veritate scribendum occurrit præter ea, quæ
dicta sunt in præcedenti Controuersia, quæ conclu-
sioni & discursui præsentis articuli sunt appli-
canda.

Vide etiam, quæ notat Caiet. & post eum Me-
dina circa responsonem ad secundum argumen-
tum D. Thomæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus possit dici homo Dominicus.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus 3. d. 7. q. 1.
possit dici homo Dominicus. Dicit enim Augustin. in art. 2.
lib. 83. quæst. Monendum est, vt illa bona expectentur,
quæ fuerunt in illo homine dominico. Loquitur autem
de Christo. Ergo videtur, quod Christus sit homo do-
minicus.

Præterea: Sicut dominium conuenit Christo ratione
diuinæ naturæ, ita etiam humanitas pertinet ad huma-
nam naturam. Sed Deus dicitur humanatus: vt patet per
Damas. in 3. lib. vbi dicit, quod humanatio eam, quæ ad
hominem copulationem demonstrat. Ergo pari ratione po-
test dici denominatiue, quod homo ille sit dominicus.

Præterea: Sicut dominicus denominatiue dicitur à do-
mino, ita diuinus denominatiue dicitur à Deo. Sed Dio.
Christum nominat diuinitatum Iesum. Ergo pari ra-
tione potest dici, quod Christus sit homo dominicus.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. Retrac. Non vi-
deo vtrum recte dicatur, homo dominicus Iesus Christus,
cum sit vtrique dominus.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, cum
dicitur homo Christus Iesus, designatur suppositum æter-
num, quod est persona filij Dei: propter hoc, quod est v-
num suppositum vtriusque naturæ. De persona autem fi-
lij Dei predicatur Deus, & Dominus essentialiter, & ideo
non debet præci. ari denominatiue: quia hoc derogat ve-
ritati vniõnis. Vnde cum Dominicus dicatur denomi-
natiue à Domino, non potest vere, & proprie dici, quod ho-
mo ille sit dominicus, sed magis quod sit dominus. Si au-
tem per hoc, quod dicitur, homo Christus Iesus, designa-
retur suppositum aliquod creatum, secundum illos, qui
ponunt in Christo duo supposita, posset dici homo ille do-
minicus, in quantum assumitur ad participationem ho-
noris diuini: sicut Nestoriani posuerunt. Et hoc etiam mo-
do humana natura non dicitur essentialiter Deus, sed Dei-
ficata: non quidem per conuersionem ipsius in diuinam
naturam, sed per conuinctionem ad diuinam naturam
in vna hypostasi, vt patet per Damas. in tertio lib.

Ad primum ergo dicendum, quod August. verba illa,
& similia retrahat in lib. Retrac. Vnde post verba præ-
missa in libro Retrac. subdit, Vbiunque hoc dixi, scilicet
quod Christus Iesus sit homo dominicus, dixisse me nollem:
postea quippe vidi, non esse dicendum. Quamuis non-
nulla ratione posset defendi: quia scilicet posset aliquis di-
cere,

tere, quod dicitur homo dominicus ratione humane nature, quam significat hoc nomen homo: non autem ratione suppositi.

Ad secundum dicendum, quod illud unum suppositum, quod est humana, & diuina natura, primo quidem fuit diuina natura, scilicet ab eterno: postea autem ex tempore per Incarnationem factum est suppositum humana natura. Et hac ratione dicitur humanatum: non quia assumpsit hominem, sed quia assumpsit humanam naturam. Non autem sic est e converso, quod suppositum humana natura assumpsit diuinam naturam: vnde non potest dici homo Deificatus, vel dominicus.

Ad tertium dicendum quod hoc nomen diuinum, consuevit predicari etiam de his, de quibus predicatur essentialiter hoc nomen Deus. Dicimus enim, quod diuina essentia est Deus, ratione identitatis: & quod essentia est Dei, siue diuina, propter diuersum modum significandi, & verbum diuinum, cum tamen Verbum sit Deus. Et similiter dicimus personam diuinam, sicut, & personam Platonis, propter diuersum modum significandi. Sed dominicus non dicitur de his, de quibus dominus predicatur: non enim consuevit dici, quod aliquis homo, qui est dominus, sit dominicus. Sed illud, quod qualitercunque est domini, dominicum dicitur: sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est dominus, non potest dici dominicus: sed potest caro eius dici caro dominica, & passio eius potest dici passio dominica.

Ratio quaestii.

HIVS quaestio ratio est diuersitas dictorum S. Aug. quæ refertur hic à D. Th. in argumentis: Alia etiam dicta affirmantia poterunt ex aliis locis S. Aug. Med. & Suar. in Comm. & Valq. disp. 63. cap. 2.

Forma Textus.

CONCL. est: Non potest vere & proprie dici, quod Christus sit homo dominicus. Probatur primo: quia de Christo predicatur Deus & dominus essentialiter: ergo non potest vere & proprie dici, quod Christus sit homo dominicus. Antecedens probatur: quia de persona filij Dei predicatur Deus & Dominus essentialiter: at hoc nomine homo Christus Iesus designatur suppositum æternum, quod est persona filij Dei: ergo. Consequentia vero probatur: quia predicatum hoc, Homo dominicus, significat suppositum creatum participationem habentem honoris diuini: quod probatur: Primo: quia dominicus dicitur denominatione à domino. Secundo ex hæresi Nestoriana ponente in Christo duo supposita, scilicet creatum & increatum: quorum alterum, scilicet creatum erat assumptum ad participationem honoris diuini, & ideo poterat appellari homo dominicus. Secundo probatur eadem consequentia: quia natura humana ideo non dicitur essentialiter Dea, sed Deificata (non quidem per conuersionem ipsius in diuinam naturam, sed per cõiunctionem ad diuinam naturam in vna hypostasi,) quia diuersa est humana natura à Deitate: igitur ab opposito, quia vnicum est suppositum Dei, & hominis in Christo, debet dici dominus & non dominicus.

Expositio Textus.

QUATVOR sunt prædicata denominatiua, quæ nonnulli ex S. Patribus affirmant de Christo. Primo namque dicunt ipsum esse hominem dominicum: ita Aug. loco notato à D. Thom. in primo a. gumento, & alibi. Athan. in epist. ad Epictetum, in confes. fidei, ante medium. Epiphani. hæresi 69. & in Ancorato post medium. Didimus lib. 3. de Spiritu S. col. 4. in 6. Tomo Bibliotheca Sacra. Secundo dicunt Ie-

Examinatur quatuor propositiones. Prima est. Christus est homo dominicus. Secunda est. Christus est

sum Christum esse diuinum & diuinissimum: ita Dionys. cap. 4. Eccles. Hierarch. Tertio dicunt Verbum aut Deum vel Dei filium esse humanatum: est: Deus est ita Damasc. lib. 3. cap. 11. Concilium Constantinop. i. cap. 7. in confes. fidei, quam recipit Concil. Calced. actio 2. & S. Th. hic ad 2. Quarto dicunt, Christum esse Deum carniferum: sicut enim loquitur Athanas. in serm. de S. Deipara, circa finem: Non vocamus hominem Deiferum, sed Deum carniferum. Quæ singula breuiter sunt examinanda: & PRIMA propositio illa: Christus est homo dominicus: cuius prædicatum dominicus quadrupliciter sumi potest. Primo, vt est denominationem suppositi essentiali denominatione, quæ sumitur ab ipsa Dei natura, vt concepta per modum formæ aut differentie essentialis: & ita dici posset, Verbum Dei esse Verbum dominicum, scilicet in Deo supremo domino existens, & habens diuinam naturam: & eadem ratione dici posset Christus homo dominicus, id est, habens supremi domini naturam: sicut enim nulla significatur distinctio suppositorum in Christo. Secundo sumi potest dominicus, prout dicit denominationem suppositi extrinsecam, desumptam ex ordine ad patrem, ad quem persona Christi habet habitudinem, vt Verbum ad dicentem, vt filius ad generantem, vt misus ad mittentem: & ita dici posset Christus homo dominicus, sicut dici posset Verbum dominicum, & filius dominicus. Tertio sumi potest prædicatum illud dominicus in dicta propositione, prout denominationem assumptam humanitatem, ita vt idem sit homo dominicus, quod humanitas dominica, sumendo scilicet hominem pro humanitate, quomodo nonnunquam sumitur ab Augustino & alijs: & ita significatur distinctio realis humanitatis à Deo, & à persona diuina, & verissima est propositio, vt ait S. D. ad primum ex Augustino: & in hoc sensu fortasse protulerunt eam prædicti Patres. Sed quoniam hi tres sensus neque consueti neque satis proprij sunt, ideo dicta propositio non esset in aliquo dictorum sensuum sine declaratione aut limitatione profertenda. Est igitur postremus sensus proprius, & vltimus, vt dictio illa dominicus importet denominationem à domino, qui sit aliud ab homine: & ita denotat in Christo distinctionem realem suppositorum, quorum alterum sit diuinum, & alterum humanum: qui fuit error Nestorij: & ideo merito S. Aug. in lib. 1. retract. cap. 18. & alibi dixit se non videre, vrum recte dicatur homo dominicus Christus Iesus, cum sit vtrique Dominus, & S. Greg. Naz. in ep. 1. ad Celidonum, siue oratione. Sic ait, Apollinaristas nomen illud dominicum Christo tribuisse ad fideles decipiendos, vt cum ipsis crederent Christum esse hominem à Deo diuersum, vt ibi notat Elias Cretensis.

SECUNDA propositio examinanda est hæc: Christus est homo diuinus: quam vt absolute veram defendit S. D. hic ad 3. dicens, consuetum esse hoc nomen diuinum prædicari de ijs, de quibus hoc nomen Deus essentialiter prædicatur: dicimus enim, essentia diuina, Verbum diuinum, persona diuina, &c. quæ denominatio non est accidentalialis, sed essentialis, cum sumatur ab ipsa diuina natura concepta per modum formæ aut essentialis differentie, vt ante diximus. Quando autem dictio illa diuinus rebus creatis opponitur, accidentalitatis est denominatio: quia participationem quædam importat diuinæ perfectionis: vt cum dicitur, lex aut traditio diuina, vel Plato diuinus: & ideo non videtur extendenda, nec facile vstranda illa propositio: Iesus siue Christus est homo diuinus, sed cum limitatione aut explicatione præferenda. Quod autem ait Valq. nullum esse discrimen

men inter hæc duo nomina scilicet *diuinus*, & *dominicus*, quia vtrumque est adiectiuum desumptum à substantia, & sicut dicimus essentiam diuinam, quia quodammodo est Dei: & Verbum aut personam diuinam, cum tamen essentia sit Deus & Verbum similiter Deus sit: eodem modo (inquit) dici potest essentia & persona dominica, & Verbum dominicum, &c. id verum est, sola vocum significatione considerata: sed obstat vsus, qui maxime debet attendi, propter quem S. Th. *hic ad 3. vnum negat*, & alterum affirmat posse congrue de Christo homine predicari. Sed ait Vasq. differentiam esse inter has voces *persona*, & *suppositum*, & hanc *Iesus*, quod illa sunt nomina secundæ intentionis, & nominantia expresse actum ipsum sustentandi naturam, licet materialiter sumantur pro re ipsa, & ideo dici posse personam, aut suppositum diuinum, quia significant aliquid, quod est ipse Deus: at hoc nomen *Iesus* non est nomen secundæ, sed primæ intentionis, expresse denotans rem, quæ est persona, non denotat aliquid vt Dei aut Domini, & ideo non potest dici diuinus aut dominicus. Sed vt ostendimus in 1. p. q. 29. a. 1. falsum est nomen personæ & hypostasis esse nomina secundæ intentionis, & significare formaliter actum sustentandi naturam, sunt enim nomina significantia formaliter substantiam primam: vt ait ibidem S. D. a. 1. 2. & 3.

Proposicio

Tertia proposicio examinanda est, *Deus aut Dei filius est humanatus*: quam vt veram & propriam admittit S. D. *hic ad 2.* Ad cuius euidentiam sciendum est dictione illam *humanatus* dupliciter sumi posse. Primo, vt est denominatiuum à substantia humanitatis: quod etiam dupliciter sumi potest: Vno modo, vt est denominatiuum substantiale: & hoc modo tumitur ab humanitate, tanquam natura constituente personam Verbi, non simpliciter, sed in hoc, quod est esse hominem seu personam humanam: & in hoc sensu vera est proposicio dicens Deum aut Dei filium esse humanatum. Alio modo sumi potest idem nomen, vt denominatiuum accidentale ab humanitate, vt accidentaliter vnita Verbo, sicut asserbat Nestorius: & ita falsa & hæretica est proposicio, damnata in Concilio Francfordiensi in epistola ad Episcopos Hispania dicente, vniam personam esse Deum & hominem, & non hominem Deificum & humanum Deum. Secundo sumi potest dicitio hæc *humanatus*, vt participium Verbi *humano*, quod significat fieri hominem: & ita dicendo, Deum esse humanatum, significatur, Deum factum esse hominem: quod fides docet: & in hoc sensu accipiendum est dictum Damasce. & Conciliorum *locus supra notatus*: quamuis possit etiam intelligi in priori sensu primi membri, videlicet sumendo humanatum, vt importat denominationem substantialem: quod non aduertit Vasq.

4. Proposicio

Quarta proposicio examinanda est *Deus est carniferus*: quæ dupliciter intelligi potest. Vno modo, vt significet Deum assumpsisse carnem sine anima, vt asserbant Apollinaristæ: & ita neganda est, vt hæretica: sicut eam negat Naz. loco supra notato. Alio modo potest intelligi, vt significet Deum assumpsisse totam, & integram naturam humanam, significatam in scripturis nomine carnis: & ita Catholica est proposicio, vt fatetur ibi Naz. Sed obseruandum est, Sanctos Athan. & Naz. magis comparatiue loqui contra Nestorium, quàm absolute. Hoc enim videntur intendere, nimirum magis appellandum esse Deum carniferum, quam hominem Deiferum: quia nuncupando hominem Deiferum, significatur suppositum creatum in se ipso ferens Deum, quod asserbat Nestorius: di-

Naz. in D. Thom. 3. partem

ando autem Deum carniferum, significatur suppositum diuinum ferens, id est sustentans carnem, vnitam scilicet sibi personaliter: quod fides Catholica docet.

Videntur sunt, quæ scribunt Suar. disp. 35. sect. 3. & Vasq. disp. 63. cap. 2.

ARTICVLVS IV.

Virum ea, quæ conueniunt filio hominis, possint predicari de filio Dei, & conuerso.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ea, quæ sunt humana natura, non possint dici de Deo. Impossibile enim est opposita de eodem predicari. Sed ea, quæ sunt humana natura, sunt contraria his, quæ sunt propria Dei: Deus enim est increatus, immutabilis, & æternus: ad humanam autem naturam pertinet, vt sit creata, temporalis, & mutabilis. Ergo ea, quæ sunt humana natura, non possunt dici de Deo.

Præterea: Attribuere Deo ea, quæ ad defectum pertinent, videtur derogare diuino honori, & ad blasphemiam pertinere. Sed ea, quæ sunt humana natura, defectum quendam continent: sicut pati, mori, & alia huiusmodi. Ergo videtur, quod nullo modo ea, quæ sunt humana natura, possint dici de Deo.

Præterea: Assumi conuenit humana nature. Non autem hoc conuenit Deo. Non ergo ea, quæ sunt humana natura de Deo dici possunt.

Sed contra est, quod Damas. dicit in 3. lib. quod Deus suscepit ea, quæ sunt carnis idiomata, id est, proprietates: dicitur Deus passibilis nominatur, & Deus gloria crucifixus est.

Respondeo dicendum, quod circa hanc questionem diuersitas fuit inter Nestorianos, & Catholicos. Nestoriani enim voces, quæ dicuntur de Christo, diuidere volebant hoc modo, vt ea, quæ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo: nec ea, quæ pertinent ad diuinam naturam, dicerentur de homine. Vnde Nestorius dixit. Si quis Dei Verbo tentat passiones tribuere, anathema sit. Si quæ vero nomina sunt, quæ pertinere possunt ad vtranque naturam, de aliibus predicabant ea, quæ sunt vtriusque nature: sicut hoc nomen Christus, vel Dominus. Vnde concedebant Christum esse natum de Virgine, & fuisse ab æterno: non tamen dicebant, vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse. Catholici vero posuerunt huiusmodi, quæ dicuntur de Christo, siue secundum diuinam naturam siue secundum humanam, dici posse tam de Deo, quam de homine. Vnde Cyrillus dicit: Si quis duabus personis, seu substantiis, id est hypostasisibus eas, quæ in Evangelicis, & Apostolicis conscriptionibus sunt diuinitatis voces, vel ea, quæ de Christo à Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso, & aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas vero soli Verbo deputauerit, anathema sit. Et huius ratio est: quia cum sit eadem hypostasis vtriusque nature, eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque nature: sicut ergo dicatur homo, siue Deus, supponitur hypostasi diuina, & humane nature. Et ideo de homine possunt dici ea, quæ sunt diuina nature, tanquam de hypostasi diuina nature: & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humane nature, tanquam de hypostasi humane nature. Sciendum tamen, quod in propositione, in qua aliquid de aliquo predicatur, non solum attenditur quid sit illud, de quo predicatur predicatum: sed etiam secundum quid de illo predicatur. Quamuis ergo non distinguantur ea, quæ predicantur de Christo: distinguuntur tamen secundum id, secundum quod vtrunque predicatur. Nam ea, quæ sunt diuina nature, predicantur de Christo secundum diuinam naturam: ea autem, quæ sunt humane nature, predicantur de eo secundum humanam naturam. Vnde August. dicit in primo de Trin. Distinguiamus quid in scripturis sonet, secundum formam Dei, & quid secundum formam serui. Et infra quid, & propter quid, & quid secundum quid dicatur, prudens, & diligens, & pius lector intelligat.

Ad primum ergo dicendum, quod opposita predicari de eodem secundum idem, est impossibile: sed secundum diuersa nihil prohibet. Et hoc modo opposita predicantur de Christo, non secundum idem, sed secundum diuersas naturas.

Ad secundum dicendum, quod si ea, quae ad defectum pertinent, Deo attribuerentur secundum diuinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinet ad diminutionem honoris ipsius: non autem pertinet ad Dei iniuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Vnde in quodam sermone Ephesini Concilij dicitur: Nihil putat Deus iniuriam, quod est occasio salutis hominibus: nihil enim atiectorum, quae elegit propter nos, iniuriam facit illi naturae, quae non potest esse subiecta iniurijs, propria vero facit inferiora, ut saluet naturam nostram. Quando ergo abiecta, & vilia sunt, diuinam naturam nec iniuriantur, sed salutem hominibus operantur. Quomodo dicitur ea, quae causa nostrae salutis sunt, iniuria occasionem Deo fuisse?

Ad tertium dicendum, quod assumi conuenit humana naturae, non ratione suppositi, sed ratione sui ipsius: & ideo non conuenit Deo.

Sensus quaesiti.

TITVLVM explicat hic optime Caietanus.

Forma Textus.

RE F E R T V R primo haereticis Nestorianorum, quam duabus distinctionibus & totide conclusionibus explicat S. D. quas perspicue format Caietanus: deinde duabus conclusionibus respondet quaesito.

PRIMA CONCL. est: Ea, quae dicuntur de Christo, siue secundum diuinam, siue secundum humanam naturam, d. ci possunt tam de Deo, quam de homine. Probat-
C tur primo auctoritate Cyilli, quae habetur in Concilio Ephesino Can. 4. Si quis, &c. Secundo ratione: quia siue à parte subiecti ponatur Deus, siue ponatur homo, supponitur hypostasis diuinæ & humanæ naturæ: ergo de homine possunt dici ea, quae sunt diuinæ naturæ, tanquam de hypostasi diuinæ naturæ, & de Deo possunt dici ea, quae sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ. Antecedens probatur: quia in Christo eadem est hypostasis vtriusque naturæ: ergo eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque naturæ, scilicet nomine Dei, & nomine hominis.

SECUNDA CONCL. Quamuis ea, quae predicantur de Christo, non distinguantur quo ad id, de quo dicuntur (scilicet quo ad suppositum) distinguuntur tamen secundum id, secundum quod vtrumque predicatur: quia nimirum ea, quae sunt diuinæ naturæ, predicantur de Christo secundum diuinam naturam, ea autem quae sunt humanæ naturæ, predicantur de Christo secundum humanam naturam. Probat dupliciter, primo ratione: quia in propositione, in qua aliquid praedicatur de aliquo, non solum attenditur quid sit illud, de quo praedicatur praedicatum, sed etiam secundum quid de illo praedicetur. Secundo probatur auctoritate Augustini: ut patet in textu.

Expofitio Textus.

HIC articulus magnam habet connexionem cum subsequenti, nec bene potest vnus sine altero declarari: sequentis igitur articuli commentarius erit etiam huius expofitio. Vide, quae notat Aluar. circa secundam conclusionem: quae est apud eum tertia.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea, quae conueniunt filio hominis, possint predicari de diuina natura, & de humana ea, quae conueniunt filio Dei.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod ea, quae sunt humana natura, possint dici de natura diuina. Eae enim, quae sunt humanae naturae, predicantur de filio Dei, & de Deo. Sed Deus est sua natura. Ergo ea, quae sunt humanae naturae, possunt predicari de diuina natura.

Præterea: Caro pertinet ad naturam humanam. Sed sicut dicit Damas. in 3. lib. dicimus naturam Verbi Incarnatam esse, secundum beatos Athanasium, & Cyrillum. Ergo videtur, quod pari ratione ea, quae sunt humana natura, possint dici de diuina natura.

Præterea: Ea, quae sunt diuina natura, conueniunt humanae naturae in Christo: sicut cognoscere futura, & habere salutiferam virtutem. Ergo videtur, quod pari ratione ea, quae sunt humana natura, possint dici de diuina natura.

Sed contra est, quod Damas. dicit in 3. lib. Deitatem, quidem dicentes non nominamus de ea, quae humanitatis idiomatica sunt id est, proprietates: non enim dicimus deitatem passibilem, vel creabilem. Deitas autem est diuina natura. Ergo ea, quae sunt humana natura, non possunt dici de diuina natura.

Respondeo dicendum, quod ea, quae sunt propria vnus, non possunt vere de alio predicari, nisi de eo, quod est idem illi: sicut risibile non conuenit nisi ei, quod est homo. In mysterio autem Incarnationis non est eadem natura diuina, & humana, sed eadem est hypostasis vniusque naturae: & ideo ea, quae sunt vnus naturae non possunt de altera predicari, secundum quod in abstracto significatur. Nomina vero concreta supponunt hypostasim naturae: & ideo indifferenter predicari possunt ea, quae ad vtramque naturam pertinent, de nominibus concretis. Siue illud nomen de quo dicuntur, det intelligere vtramque naturam: sicut hoc nomen Christus: in quo intelligitur, & diuinitas vngens, & humanitas vncta. Siue solum diuinam naturam: sicut hoc nomen Deus, vel filius Dei. Siue solum naturam humanam: sicut hoc nomen homo, vel Iesus. Vnde Leo Papa dicit in Epistola ad Palestinos: Non interest, ex qua Christus substantia nominetur: cum inseparabiliter manente vnitate persone, idem sit, & totus hominis filius, propter carnem, & totus Dei filius, propter vniam cum Patre Deitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod in diuini redit est idem persona cum natura: & ratione huius identitatis diuina natura predicatur de filio Dei. Non tamen est idem modus significandi: & ideo quadam dicuntur de filio Dei, quae non dicuntur de diuina natura: sicut dicimus, quod filius Dei est genitus, non tamen dicimus, quod natura diuina sit genita: ut in Prima parte habitum est. Et similiter in mysterio Incarnationis dicimus, quod filius Dei passus est: non autem dicimus, quod diuina natura sit passa.

Ad secundum dicendum, quod Incarnatio magis importat vnionem ad carnem, quam carnis proprietatem. Vtraque autem natura in Christo, est vnita alteri in persona: ratione cuius vnionis, & diuina natura dicitur incarnata, & humana natura deificata: ut supra dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ea, quae sunt diuina natura, d. dicuntur de humana natura, non secundum quod essentialiter competunt diuinae naturae: sed secundum quod participatiue deriuantur ad humanam naturam. Vnde ea, quae participari non possunt à natura humana (sicut esse increatum, aut omnipotentem) nullo modo de humana natura dicuntur. Diuina autem natura nihil participatiue recipit ab humana natura: & ideo ea, quae sunt humana natura, nullo modo possunt dici de diuina natura.

Sensus

Sensus quæsti,

HIVVS quæsti sensum explicat Cai. declarans eius diversitatem à præcedenti.

Forma Textus.

DVAVVS conclusionibus respondet quæsto: quas vnico probat argumento.

PRIMA CONCL. est: Ea, que sunt vnus natura, nõ possunt de alia predicari, secundum quod in abstracto significatur.

SECUNDA CONCL. Ea, qua ad vtramque naturam pertinent, possunt indifferenter predicari de nominibus concretis, siue illud nom. n. de quo dicuntur, det intelligere vtramque naturam; sicut hoc nomen Christus, siue solum diuinam naturam, sicut hoc nomen Deus, vel filius Dei, siue solum naturam humanam: sicut hoc nomen homo, vel Iesus. Probatantur ambæ simul: Ea quæ sunt propria vnus, non possunt vere de alio predicari, nisi de eo, quod est idem illi: at in mysterio Incarnationis non est eadem natura diuina & humana, sed eadem est hypostasis vtriusque naturæ, quæ supponitur nominibus concretis vtriusque naturæ: ergo ea, quæ sunt vnus natura, &c. Maior manifestatur exemplo: quia risibile non conuenit nisi ei, quod est homo. Minor patet ex præcedentibus. Deinde secundam conclusionem ex præcedentibus probat auctoritate Leonis: vt patet in textu.

Expositio Textus.

VIDENTIA sunt, quæ scribit Cai. de differentia nominum abstractorum & concretorum, & de efficacia discursus D. Th.

Secundo notanda sunt hic nonnullæ regulæ: quas indicat S. D. in hoc & duobus articulis præcedentibus: quibus alias addemus in subsequenti. Ex quibus omnibus simul sumptis habebit Theologus perfectam atque turissimam loquendi formam in hoc sacrosancto mysterio Incarnationis.

1. Regula.

PRIMA REGULA est: Communicatio idiomatum ex Incarnationis mysterio consecuta non in eo posita est, vt quidquid conuenit diuina persone aut nature, conueniat etiam humana nature, aut e contra: sed in hoc consistit, quod de eadem persona in duabus naturis subsistente dicuntur diuina & humana prædicata. Hæc deducitur ex art. 1. Probatur Prima pars quia communicatio hæc aut esset substantialis aut accidentalis, at neutro modo saluatur vera communicatio idiomatum in sensu Catholico: ergo. Maior patet. Minor quo ad primam partem probatur: Primo quia ponere solam communicationem accidentalem est cõsentire Nestorio dicenti, vnionem duarum naturarum in Christo non esse hypostaticam sed accidentalem. Secundo: quia hæc non est vera communicatio idiomatum: nam ex participatione omnipotentia Dei humana natura nec vere esset, nec proprie ac vere diceretur omnipotens. Quoad secundam vero probari potest secundo arg. D. Th. in art. 5. Deinde probatur: quia communicatio substantialis diuinarum perfectionum seu attributorum, aut fieret humanitati, quatenus illi vniuntur vt instrumento præcise: & sic approbatur error Nestorij negantis, vnionem hypostaticam in Christo duarum naturarum: aut per hoc fieret quod humanitas per diuinam attributa, puta omnipotentiam, æternitatem, sapientiam infinitam &c. constitueretur formaliter omnipotens, æterna, sapiens &c. Hoc autem est impossibile, quia hæc cum sint infinita simpliciter, non possunt conuenire nisi nature simpliciter infinite. Nec differret hæc assertio ab errore Euthychetis asserentis,

Næ in D. Thom. 3. partem

A vnionem fuisse factam in natura. Relinquitur ergo, vt communicatio idiomatum & proprietatum in eo posita sit, quod duarum naturarum, diuinæ sc. & humanæ, prædicata de vna & eadem in vtraque natura subsistente persona prædicentur. Colligitur hæc pars ex 2. conclusione primi articuli, & eius probatione.

SECUNDA REGULA est: Nomina concreta significantia naturam diuinam. vt hoc nomen Deus, vel attributa vt hæc nomina æternus, omnipotens, infinite bonus, &c. prædicantur de nominibus concretis significantibus humanam naturam aut compositum ex vtraque natura. Hæc patet ex doctrina 2. arti. & est doctrina fidei tradita in Ephes. Con. canone 4. & in symbolis Apostolorum, Nicei Conc. & Athan. & in Synodo Calced. actione 5. & in Synodo generali can. 2. & seq. & in 6. Synodo generali, act. 11. & 18. & in Concilio Floren. & est communis doctrina Patrum. Ex hac regula sequitur, vt de homine Christo vere ac proprie dicatur illud omne, quod essentialiter aut personaliter affirmatur de filio Dei: Vnde hæc sunt veræ & propriæ, Christus vel homo, aut hic homo, demonstrato Christo, est Deus, est omnipotens, æternus, infinite sapiens, creator &c.

TERTIA REGULA est: Nomina concreta significantia naturam humanam, aut eius proprietates, vere ac proprie dicuntur de nominibus concretis significantibus diuinam naturam in concreto, aut suppositum incarnatum, quod est filius Dei. Vnde istæ propositiones sunt veræ ac propriæ: Deus seu Dei filius est homo, natus de Virgine, passus, meruit &c. Hæc regula colligitur ex art. 1. huius q. & pender ex eodem fundamento, scilicet ex vnitatem personæ subsistentis in duabus naturis, & definita est hæc veritas ab Ecclesia locis notatis pro secunda regula.

QUARTA REGULA est: Nomen abstractum significans humanam naturam non predicatur de filio Dei, neque etiam de filio hominis. Vnde istæ sunt falsæ: Filius Dei est humanitas. Christus est humanitas, hic homo est humanitas. Probat: quia natura humana distinguitur realiter à Verbo, seu filio Dei: ergo. Et de his propositionibus satis diximus in præcedentibus.

QUINTA REGULA est: Nomina abstracta significantia diuinam naturam, aut eius attributa, vere & proprie predicantur non solum de filio Dei, sed etiam de filio hominis in concreto. Probat: quia diuina natura idem est realiter cum supposito Christi: ergo de hoc supposito, quocumque nomine significetur, potest predicari natura diuina, & eius attributa etiam abstracte significata: Et confirmatur: quia recte sequitur: Filius Dei est Deitas, at filius hominis est filius Dei: ergo filius hominis est Deitas.

SEXTA REGULA est: Prædicata ab humanitate sumpta diuina possunt de Deo, tam absolute, quam denominatiue substantialiter: sicut etiam prædicata desumpta à natura diuina dicuntur non solum absolute, sed etiam denominatiue substantialiter de homine Christo. Neutra tamen accidentali denominatione prædicantur. Vnde istæ sunt veræ: Deus est humanatus, Deus est incarnatus, Christus est homo diuinus, ille homo, demonstrato Christo, est diuinus, sumendo hæc prædicata, vt denominatiua substantialiter: si vero sumantur, vt denominatiua accidentaliter, falsas reddunt prædictas propositiones: quia significant in Christo vnionem accidentalem, & distinctionem in ipso duarum personarum, aut distinctionem realem personæ Christi à Deo, cuius oppositum docet fides: Et quoniam in hac propositione: Christus est homo dominicus, dictio illa dominicus proprie, & secundum vsum loquentium est denominatiua accidentaliter, ac proinde significat alteram ex prædictis distinctionibus, ideo absolute falsa est. Huius regulæ veritas patet ex ijs, quæ diximus art. 3.

SEPTIMA REGULA est, quam statuit S. D. de 7. Regula.

Veritate, q. 29. a. 1. ad 1. dicens: illa, quæ nata sunt conuenire persona ratione sui ipsius, non possunt dici de Christo si habent repugnantiam ad proprietates personæ æternæ, quæ sola in eo est: sicut patet de hoc nomine, creatura: Ea vero, quæ non sunt nata conuenire personæ, nisi ratione naturæ, vel partis naturæ, possunt dici de Christo, quamuis habeant repugnantiam ad personam æternam: & hoc propter dualitatem naturarum: sicut pati, mori, & alia huiusmodi. Huius regulæ prima pars comprehendit eam, quæ apud Suarezium est octaua videlicet: Ea prædicata, quæ non possunt homini conuenire, nisi ut supponit pro supposito creato, non possunt prædicari de Deo, aut de Filio Dei, aut de Christo: sicut esse purum hominem, aut filium adoptiuum, & similia. Quæ regula eadem est cum illa, videlicet: Ea prædicata, quæ conueniunt homini, & repugnant hypostasi diuinæ, non possunt de Deo aut de Christo prædicari.

8. Regula.

OCTAVA REGULA: Prædicata, quæ dicuntur de Christo, possunt etiam de filio Dei prædicari, regulariter loquendo. Probat: quia idem est suppositum Christi & filij Dei: Dixi regulariter: quia quædam sunt propositiones, in quibus prædicata determinant hoc subiectum, Christus, ut stet pro composito, quatenus tale est: sicut istæ: Christus est persona composita ex humanitate & diuinitate: Christus est terminus resultans ex vnione hypostatica duarum naturarum: quamquam dici posset filius Dei, nõ absolute, sed quatenus est subsistens in duabus naturis, est persona composita, ut explicauimus supra q. 2. a. 4. in expositione textus.

ALIÆ quædam regulæ colligi possunt ex sequentibus articulis, quas ex singulorum conclusionibus & probationibus deducemus. Vide, quæ scribunt Med. & Suar. disp. 35. sect. 3 & 4.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hæc sit v. r. a. Deus factus est homo.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod hæc sit falsa, Deus factus est homo. Cum enim homo significet substantiam, fieri hominem, est fieri simpliciter. Sed hæc est falsa, Deus factus est simpliciter. Ergo hæc est falsa, Deus factus est homo.

Præterea: Fieri hominem est mutari. Sed Deus non potest esse subiectum mutationis: secundum illud Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor. Ergo videtur, quod hæc sit falsa, Deus factus est homo.

Præterea: Homo secundum quod de Christo dicitur, supponit personam filij Dei. Sed hæc est falsa, Deus factus est persona filij Dei. Ergo hæc est falsa, Deus factus est homo.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 1. Verbum caro factum est. Et sicut Athanasius dicit in Epistola ad Episcopos, quod dixit, Verbum caro factum est, simile est ac si diceretur, quod Deus homo factus est.

Respondendo dicendum, quod vnum quodque dicitur esse factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipso. Esse autem hominem, vere prædicatur de Deo (sicut dictum est) ita tamen quod non conuenit Deo esse hominem ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humane nature. Et ideo hæc est vera, Deus factus est homo. Diuersimode tamen intelligitur à diuersis, si u. & hæc, Deus est homo, ut supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod fieri hominem, est fieri simpliciter in omnibus his, in quibus humana natura incipit esse in supposito de nouo creato. Deus autem dicitur factus homo: eo quod humana natura incipit esse in supposito diuina natura, ab æterno præexistente. Et ideo Deum fieri hominem, non est Deum fieri simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod sicut dictum est, fieri importat, quod aliquid prædicetur de nouo de altero. Vnde quando, unquam aliquid de nouo prædicatur de altero com-

mutatione eius, de quo dicitur, tunc fieri est mutari. Et hoc contingit in omnibus, quæ absolute dicuntur: non enim potest albedo, aut magnitudo de nouo aduenire alicui, nisi per hoc, quod de nouo mutatur ad albedinem, vel magnitudinem. Ea vero quæ relative dicuntur, possunt de nouo prædicari de aliquo absque eius mutatione: sicut homo de nouo fit dexter absque sua mutatione, per motum illius, qui fit ei sinister. Vnde in talibus non oportet omne, quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum ad Deum dicitur, Domine refugium factus es nobis. Esse autem hominem, conuenit Deo ratione vnionis, quæ est relatio quædam, & ideo esse hominem prædicatur de nouo de Deo absque eius mutatione per mutationem humane nature, quæ assumitur in diuinam personam. Et ideo cum dicitur, Deus factus est homo, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humane nature.

Ad tertium dicendum, quod homo supponit personam filij Dei, non nudam, sed prout subsistit in humana natura. Et ideo quamuis hæc sit falsa, Deus factus est persona filij Dei: est tamen hæc vera, Deus factus est homo, ex eo quod est vnus humane nature.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. est: Hæc est vera: Deus factus est homo. Probat: quia vnum quodque dicitur factum id, quod de nouo incipit prædicari de ipso: sed esse hominem vere & de nouo incipit prædicari de Deo: ergo. Maior patet. Minor probatur: quia esse hominem non conuenit Deo ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humane nature: ergo.

SECUNDA CONCL. implicite posita est: Cum diuerso modo intelligatur à diuersis dicta propositio, sicut etiam hæc: Deus est homo: ut patet supra art. 1. verus sensus est: Deus factus est homo, quia vnus est personaliter & substantialiter humane nature: ut dicitur in responsione ad tertium.

Expositio Textus.

AD verte secundam conclusionem in illis verbis diuersimode tamen, &c. in sinuata fuisse: quia S. D. innuit propositionem hanc: Deus factus est homo esse similiter intelligendam, sicut illa Deus est homo: quæ licet à diuersis varie intelligatur, eius tamen verus intellectus est, ut sit prædicatio eius substantialis, cum prædicetur assumpta natura de suo supposito propter vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo, pro quo supponit hoc nomen, Deus: Sic igitur in proposito, cum dicitur: Deus factus est homo, licet multipliciter possit exponi, sicut exponebatur illa: Deus est homo: verus tamen ac legitimus eius sensus est, Deum esse factum hominem, quia verus Deus est vnus personaliter veræ humane nature: atque adeo acquisiuit nouum esse substantiale; quod est essentialiter rationale.

Videnda sunt, quæ scribunt Cai. & Suar. in Com. circa sensum & proprietatem huius propositionis Deus factus est homo: quæ est veritas Catholica fidei in Sacris litteris, & Conciliorum definitionibus expressa. Nam Ioan. 1. dicitur Verbum caro factum est, & Rom. 1. Qui factus est ei ex femine David secundum carnem, & ad Gal. 4. Factum ex muliere, & ad Philip. 2. In similitudinem hominum factus, & in Symbolo Niceo: Et homo factus est. Et quia valde conexa est huius articuli doctrina cum ea, quæ subsequenti continetur articulo, ideo tanguntur ibi, quæ ad huius explanationem videntur esse necessaria.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Utrum haec sit vera: Homo factus est Deus.

*Talis supra
art. citauit.*

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod haec sit vera, Homo factus est Deus. Dicitur enim Roman. 1. Quod ante promissit per prophetas suos in Scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Sed Christus, secundum quod homo, est ex semine Dauid secundum carnem. Ergo homo factus est filius Dei.

Præterea: August. dicit in primo de Trinitate. Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Sed ratione illius susceptionis haec est vera, Deus factus est homo. Ergo similiter haec est vera. Homo factus est Deus.

Præterea: Gregorius Nazianzenus dicit in Epistola ad Eulodium, Deus quidem humanatus est, homo autem deificatus, vel quolibet aliter n. minauerit. Sed Deus ea ratione dicitur humanatus, quia est homo factus. Ergo homo ea ratione dicitur deificatus, quia est factus Deus. Et ita haec est vera. Homo factus est Deus.

Præterea: Cum dicitur, Deus factus est homo, subiectum factionis, vel mutationis non est Deus: sed humana natura, quam significat hoc nomen homo. Sed illud videtur esse subiectum factionis, cuius factio attribuitur. Ergo haec magis est vera: Homo factus est Deus, quam ista, Deus factus est homo.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. l. b. Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum. Idem autem est fieri Deum, quod deificari. Ergo haec est falsa, Homo factus est Deus.

Respondetur dicendum, quod ista propositio, Homo factus est Deus, tripliciter potest intelligi. Vno modo, ita quod hoc participium factus, determinet absolute, vel subiectum, vel prædicatum. Et in hoc sensu est falsa: quia neque homo ille, de quo Deus prædicatur, est factus, neque Deus est factus: ut infra dicitur. Et sub eodem sensu haec est falsa, Deus factus est homo. Sed sub hoc sensu non quaritur hic de istis propositionibus. Alio modo potest intelligi, ut ly factus determinet compositionem: ut sic sensus, Homo factus est Deus, id est factum est, ut homo sit Deus. Et sub hoc sensu videtur esse vera, Homo factus est Deus, & Deus factus est homo. Sed hic non est proprius sensus harum locutionum: nisi forte intelligatur secundum quod ly homo non habet personalem suppositionem, sed simplicem. Licet enim hic homo non sit factus Deus, quia hoc suppositum, scilicet persona filij Dei, ab aeterno fuit Deus: tamen homo, communiter loquendo, non semper fuit Deus. Tertio modo proprie intelligitur, secundum quod hoc participium factus, ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis. Et in hoc sensu, supposito quod in Christo sit eadem persona, & hypostasis, & suppositum Dei, & hominis (ut supra ostensum est) ista propositio est falsa: quia cum dicitur, Homo factus est Deus, ly homo, habet personalem suppositionem. Non enim esse Deum, verificatur de homine ratione humane nature, sed ratione suppositi sui: suppositum autem illud humane nature, de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis, seu persona filij Dei, quæ semper fuit Deus. Unde non potest dici, quod iste homo incipit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus. Si vero esset alia persona, vel hypostasis Dei, & hominis, ita quod esse Deum, prædicaretur de homine, & e converso, per quandam coniunctionem suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis (ut Nestoriani dixerunt) tunc pari ratione posset dici, quod homo factus est Deus, id est, coniunctus Deo, sicut, & quod Deus factus est homo, id est, coniunctus homini.

Ad primum ergo dicendum, quod in verbis illis Apostoli hoc relatum Qui, quod refert personam filij Dei, non debet intelligi ex parte prædicati, quasi aliquis existens ex semine Dauid secundum carnem sit factus filius Dei: in

A quo sensu obiectio procedebat: sed debet intelligi ex parte subiecti: ut sit sensus, quod filius Dei factus est, scilicet homo, ad honorem Patris (ut Gloss. exponit) existens ex semine Dauid secundum carnem. Ac si diceret filius Dei factus est habens carnem ex semine Dauid, ad honorem Dei.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum August. est intelligendum in illo sensu, secundum quod ex illa susceptione Incarnationis factum est, ut homo esset Deus, & Deus esset homo. In quo sensu amba locutiones sunt veræ: ut dictum est.

Et similiter dicendum est ad tertium: nam deificari idem est, quod fieri Deum.

Ad quartum dicendum, quod terminus in subiecto positus tenetur materialiter, id est pro supposito: positus vero in prædicato, tenetur formaliter, id est pro natura significata. Et ideo cum dicitur, Homo factus est Deus, ipsum fieri, non attribuitur humane nature, sed supposito humane nature, quod est ab aeterno Deus, & ideo non conuenit ei fieri Deum. Cum autem dicitur, Deus factus est homo, factio intelligitur terminari ad ipsam humanam naturam. Et ideo proprie loquendo, haec est vera, Deus factus est homo: sed haec est falsa, Homo factus est Deus, sicut si Sortes cum prius fuerit homo, postea factus est albus, demonstrato Sorte, haec est vera, hic homo hodie factus est albus: haec tamen est falsa, hoc album hodie factum est homo. Si tamen ex parte subiecti poneretur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, posset hoc modo significari, ut subiectum factionis: puta si dicitur, quod natura humana facta est filij Dei.

Forma Textus.

C PROPOSITA distinctione trimembri cum vna subdiuisione, respondetur quaesito quatuor conclusionibus.

Distinctio est: Ista propositio: Homo factus est Deus, tripliciter potest intelligi. Primo, ut hoc participium factus determinet absolute, vel subiectum vel prædicatum; ita ut sit adiectiuum subiecti vel prædicati. Secundo potest intelligi, ut ly factus determinet compositionem; ut sit sensus: homo factus est Deus, id est factum est, ut homo sit Deus, siue hominem esse Deum factum est; ita ut ly factus sumatur, ut modus determinans, ut in modalibus. Sed rursus in propositione sic intellecta subiectum, videlicet homo, dupliciter sumi potest: Vno modo, ut habet suppositionem personalem: Alio modo, ut habet suppositionem simplicem. Tertio modo potest intelligi dicta propositio, secundum quod hoc participium factus ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, ut ad terminum factionis. Differt hic sensus a primo & secundo, quoniam hic est proprius, illi autem improprius. Specialiter autem differt a primo; quia sub primo sensu non est hic quaestio de dicta propositione.

PRIMA CONCL. est: si in dicta propositione, hoc participium factus determinet absolute, vel subiectum, vel prædicatum, falsa est propositio: Probat: quia neque homo ille, de quo Deus prædicatur, est factus, neque Deus est factus: ex quo sequitur sub eodem sensu, hanc etiam esse falsam: Deus est factus, est homo: quia scilicet Deus non est factus.

SECUNDA CONCL. Si dicto illa factus determinet compositionem, ut sit sensus: homo factus est Deus, id est factum est, ut homo sit Deus, veræque propositio vera est, scilicet haec: homo factus est Deus, & haec: Deus factus est homo.

TERTIA CONCLVS. Si in hac propositione: homo factus est Deus, subiectum quod est homo, habeat suppositionem non personalem, sed simplicem, vera est, & fortasse propria propositio. Probat: quia, licet hic homo non sit factus Deus, eo quod hoc suppositum, scilicet persona filij Dei, ab aeterno fuit Deus, tamen

homo, communiter loquendo, non semper fuit A
Deus.

QUARTA CONCL. Si in dicta propositione hoc participium factus sumatur, quatenus ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis, propositio propria quidē est sed falsa. Probatur esse falsam. Primo: quia in Christo est vna & eadem persona & hypostasis & suppositum Dei & hominis; ergo dicta propositio est falsa. Consequentia probatur: quia ly homo habet personalem suppositionem; ergo. Probatur hoc assumptum: quia esse Deum non verificatur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi sui. Secundo probatur ex opposita hæresi Nestorianorum verificante dictam propositionem: Quia, si esset alia persona & hypostasis Dei & hominis, &c. vt in textu.

Expositio Textus.

Declaratur
tam ex cō-
munitate,
quam ex
propriis fun-
damentis
veritates
conclusionū
huius &
precedentis
articuli.

LITTERAM huius artic. declarat accurate Cai. explicās sensus singulorum membrorum distinctionis & conclusionum; qui pendent ex variā acceptione & applicatione illius participij factus: quam diligentiam imitati sunt Suar. in *Commen.* & Valq. *disp. 64. cap. 1.* qui plura, quam opus sit, verba profundit in explicando secundo diuisionis membro cum subdiuisione: verba enim S. Thom. planissima sunt, non autem obscura, vt imponit Valquez. Suar. etiam cōtra textum affirmat de mente D. Thom. propositionem hanc: *Homo factus est Deus* acceptam in secundo sensu, iuxta secundum eius membrum, sumendo scilicet nomen illud homo, vt habet suppositionem simplicem, esse improprium; cuius oppositum manifeste significat S. D. per illam exceptionem *nisi forte*, &c.

PROFACILIORI autem huius articuli intelligentia obseruandum est primo, duas esse terminorum suppositiones, quas logici vocant accidentales. Altera dicitur simplex, quæ est acceptio termini communis pro re vniuersali significata per ipsum terminum; vt cum dico: homo est species, animal est genus. Dicitur autem hæc suppositio simplex; quia conuenit termino ratione naturæ communis, quæ simplex est simplicitate opposita compositioni personali. Diuersæ namque suppositiones conueniunt termino communi, secundum diuersa esse naturæ cōmunis, quæ habet in se & in indiuiduis. Quatenus ergo tenetur pro natura vt in se est, & vt licet repugnat ei teneri pro indiuiduis, dicitur habere suppositionem simplicem. Altera suppositio dicitur personalis; quæ est acceptio termini communis, aut pro inferioribus omnibus, aut pro vno aliquo vel aliquibus. Et si quidem pro omnibus accipitur, vt in hac: omnis homo currit, dicitur homo supponere personaliter confuse; sicut etiam secundum aliquos, in propositione, cuius subiectum est indefinitum, vt homo currit, aut indiuiduum vagum vt aliquis homo currit, subiectum habet suppositionem personalem confusam. Si vero per pronomen demonstratiuum ad vnum aliquod suppositum determinetur, vt in hac iste homo est albus, subiectum supponit personaliter determinate; sicut etiam in omni propositione indefinita & singulari, secundum aliquos dicitur supponere terminus communis personaliter determinate, quia verificatur de aliquo vel aliquibus determinate. In hac igitur propositione. *Homo factus est Deus* nomen illud commune homo nō potest supponere, nisi personaliter, proprie loquendo, vt ait Caietanus; quia participium illud factus cum significet fieri reale, quod non conuenit, nisi homini singulari, trahit hominem ad supponendum personaliter; sicut cum dico homo factus est al-

bus, nomen illud homo supponit personaliter, quia oportet vt verificetur de aliquo homine singulari, qui sit factus albus.

Sed præterea obseruandum est diligenter, quod, quæuis logice loquendo differat hæc duæ propositiones, videlicet: *homo factus est Deus*. & *hic homo factus est Deus*, cum illa sit indefinita, hæc autem singularis; quia tamen vnum singulare tantum humanæ naturæ Deus est, ideo in re proposita vnum singulare equiualeat omnibus singularibus, ac proinde. sicut ex negatione omnium singularium infertur negatio propositionis indefinitæ, ita in re proposita ex negatione huius singularis: *hic homo factus est Deus* infertur negatio huius indefinitæ: *homo factus est Deus*: Potest tamen in dicta propositione nomē illud homo sumi (licet minus proprie) vt supponit simpliciter, id est abstrahendo à singularibus; & tunc ad eius veritatem non requiritur, vt aliquis homo sit factus Deus, sed satis est, vt de homine sic absolute sumpto verificetur de nouo esse Deum: & hunc sensum veluti propriū sonat illa propositio: *Deus factus est homo* sumendo ly factus, prout determinat compositionem, ita vt sit sensus: *homo factus est Deus*, id est: factum est, vt homo sit Deus. Cum enim talia sint subiecta, qualia permittuntur à prædicatis, & prædicatum illud factus est Deus integre sumptum vere dici non possit de homine, vt suppositionem habet personalem confusam aut determinatam, consequens est, vt si dicta propositio, vt exposita est, aliquam possit habere veritatem, eā habeat sumendo nomen illud homo, prout significat & supponit naturam abstrahentem à singularibus; quæ tamen non est eius naturalis suppositio, vt diximus cum D. Thom. & aliis 1. p. q. 29. art. 4. Et quoniam hic sensus videtur quodammodo proprius dictæ propositionis, sic expositæ, ideo S. D. dubitatiue loquens dixit: *nisi forte*, &c.

Secundo dicendum est in omni factione & in omni mutatione duo necessario reperiri, scilicet subiectum & terminum; vt patet discurrenti per singula genera factionum & mutationum, tam substantialium, quam accidentalium. In hoc autem admirabili incarnationis mysterio, quo Deus factus est homo, non solum factio quædam est sine mutatione subiecti, sed in eo etiam quædam realis mutatio est, denominans subiectum, quod secundum eam vere ac proprie dicitur mutari. Et factio quidem est hoc, quod dico, Deum fieri hominem, quæ non est factio relatiua, sed substantialis, vt patet ex dictis supra *quest. 2. artic. 6.* cui factioni nulla est adiuncta mutatio ex parte eius, quod dicitur fieri, tamquam subiectū factionis. Hoc autem est persona Verbi: sed tota mutatio est ex parte termini formalis, quod est humanitas, cui additur esse diuini Verbi personale. Factio enim in re proposita non est eius, quod prius non habebat esse simpliciter, & perfectionem habet esse simpliciter, vt contingit in generatione huius humanitatis & huius hominis; Cuius factio mutatio quædam est subiectæ materiæ de vna forma in aliam formam, ex qua vnita materiæ resultat nouum compositum, puta hæc humanitas & hic homo, sed hæc factio, de qua loquimur, est eius quod prius habebat esse simpliciter; quia Verbum ante humanitatis Assumptionem habebat esse simpliciter, scilicet esse diuinum, quod est ipsum esse per essentiam, & per hoc, quod in tempore terminat humanitatem, & fit in humanitate subsistens, acquirit hoc esse substantiale, quod esse esse hominem; quod nullam affert diuinæ personæ mutationem: quia terminare naturam non est mutari, sed est communicare subsistentiam: quæ

communicatio sicut nullam dicit imperfectionem, ita nec ullam ponit mutationem in persona communicante, aut in personalitate communicata. Mutatio vero hic interueniens tota est ex parte humanitatis. Hanc autem mutationem Caiet. ait esse relatiuam, & existeri in humanitate tãquam in subiecto, eius vero terminum esse Verbum, eo quod Verbum ea sola ratione referatur ad humanitatem, quod humanitas refertur ad ipsum; ita vt tota realitas relationis sit in humanitate; sicut cõtingit in aliis similibus relatiuis tertij modi: Sed quia omnis relatio realis præsupponit suum fundamentum, ad quod sequitur necessarii; ideo impossibile est fieri in aliquo mutationem relatiuam, quæ non consequitur alterius extremi mutationem, nisi prius fiat mutatio subiecti ad ipsum fundamentum relationis; fundamentum autem huius relationis humanitatis ad Verbum, quæ dicitur vnio, est vnio, quæ est esse substantiale in compositione consistens, quod est in ipsa humanitate eodem modo, quo totum compositum ex natura & supposito dicitur esse in natura. Fit autem in assumpta humanitate mutatio hoc ipso, quod de nouo fit subsistens diuina personalitate, & cum ea componit ineffabiliter, ita vt resulet hoc compositum, quod est Deus homo, & homo Deus. Cum igitur in prædictis duabus propositionibus videlicet: *Deus factus est homo, & homo factus est Deus*, participium *factus* non dicat mutationem, sed factionem; cuius subiectum in prima significatur esse Deus, terminus autem homo; in secunda vero subiectum significatur esse homo, terminus autem Deus, prima merito acceptatur vt vera, secunda refutatur vt falsa: Nam prima dicit illud esse factum, quod vere se habet, vt subiectum factionis; Deus enim, vt ante diximus, est subiectum illius factionis, quo Deus filius fit homo, assumendo & veniendo sibi personaliter humanitatem & eam sustentando; humanitas autem est terminus huius factionis formalis. Secunda vero falsa est; quia in ea Deus significatur, vt terminus factionis, cum tamen neque ratione personæ neque ratione diuine nature possit esse terminus circa suppositum hominis, quod significatur hoc nomine homo, cum dicitur: *homo factus est Deus*, vt hic etiam Caietanus aduertit.

Tertio notandum est Deum ipsa susceptione humanitatis, seu incarnatione non posse dici mutatum per communicationem idiomaticam, cum tamen ex eadem communicatione dicatur genitus, & natus ex Virgine, passus & mortuus, & ab aliis etiam mutationibus denominetur: dicitur enim ætate creuisse, ambulasse, & eadem ratione dici potest localiter mutatus aut motus fuisse. Huius vero differentia præcipua ratio est vsus vocabulorum & vitatio erroris. Dicendo namque Deum incarnatione mutatum fuisse, illorum errori nos assentiri significamus, qui dicebant Deum in carnem fuisse conuersum, aut ex duabus naturis, Diuina scilicet & humana, tertiam resultasse dicendo autem fuisse ex Virgine natum Deum, mortuum, localiter motum vel ambulasse & similia, facile intelligi potest, hæc illi conuenire secundum humanitatem; & in hoc sensu Patres & Ecclesia vsurpari dicta vocabula. Secundo dici potest nomen mutationis aut mutati, absolute de Deo dictum, aut etiam in ordine ad assumptam naturam denotare ex vi & vsu vocabuli, Deum secundum se esse subiectum mutationis; ac proinde secundum se mutari; quod est erroneum. Cum autem dico, Deus genitus est ex virgine, non potest intelligi Deum esse generationis subiectum; quoniam hoc est materia prima, aequæ esse terminum ge-

A neratione productum; quia per illam particulam, ex virgine, determinatur dictio illa, *genitus*, ad talẽ generationem, quæ scilicet est secundum humanam naturam, secundum quam assimilatur matri: Similiter cum dico: Deus natus est ex virgine, dictio illa, *natus*, determinatur per illam particulam, *ex virgine*, ad temporalem natiuitatem, quæ est secundum humanam naturam, & significatur Deum non secundum se siue secundum diuinam suam naturam, sed secundum assumptam humanitatem ex tempore fuisse natum ex virgine. Cũ etiam dico: Deus mortuus est, dictio illa, *Deus*, supponit pro Deo filio Incarnato, duplicem habentem vitam, scilicet diuinam & humanam, & cum non possit intelligi Dei filium mortuum fuisse secundum vitam diuinam, consequens est, vt prædicatum illud, *mortuus*, restringat subiectum ad standum pro filio Dei habente vitam humanam. Denique cum dico: Deus ambulauit, mutatus est localiter, & similia alia prædicata, hæc determinant subiectum, vt supponat pro Deo habente naturam humanam, vt sic; & ideo veræ sunt & Catholicæ: talis autem limitatio seu restrictio non fit in illa propositione: Deus assumptione humanitatis seu incarnatione mutatus est, & ideo non est admitenda. Valq. *disp. 64. cap. 4.* circa difficultatem hanc multa dicit, quæ mihi à philosophia, & à veritate profus aliena videntur; ea nunc non expedit examinare.

MULTA producantur ab expositonibus argumenta contra primam conclusionem articuli sexti, & quartam articuli septimi; quæ vide, si placet, apud Caiet. Med. & Valq. *disp. 64.* Vide etiam quæ scribunt Cai. & Suar. circa responsionem ad primum argumentum D. Tho.

ARTICVLVS VIII.

Verum hæc sit vera: Christus est creatura.

AD doctrinam sic proceditur. Videtur, quod hæc sit vera, *Inf. q. 20. a. 2.* Christus est creatura: Dicit enim Leo Papa, Noua, & *1. ad 1. Ep. 1.* inaudita conuentio: Deus qui est, & erat, sit creatura. Sed *q. 41. a. 3. c.* illud potest predicari de Christo, quod filius Dei factus est *d. 4. q. 2. a. 2.* per incarnationem. Ergo hæc est vera, Christus est creatura. *ad 4. Ep. d. 11. q. 1. ar. 2.*

Præterea: Proprietates vtriusque nature, possunt prædicari de hypostasi communi vtriusque nature quocumque nomine significatur, vt supra dictum est. Sed proprietates humane nature est esse creaturam: sicut, & proprietates diuine nature est esse creatorem. Ergo vtrunque potest dici de Christo, scilicet quod sit creatura, & quod sit increatus, & creator. *Ep. di. 11. q. 1. a. 3. ad 2. Ep. 4. con. c. 48. Co. veri. q. 29. a. 1. ad 1. Ep. 1. c. 223. Ep. 1. Cor. 15. l. 2. col. 1. fin.*

Præterea: Principali pars hominis est anima, quam corpus. Sed Christus ratione corporis, quod de Virgine traxit, dicitur esse simpliciter natus de Virgine. Ergo ratione anime, quæ creata est à Deo, debet simpliciter dici, quod Christus sit creatura.

Sed contra est, quod Ambrosius dicit in libro de Trinitate. Nunquid dicto factus est Christus: nunquid mandato creatus est Christus: quasi dicat, non. Vnde subdit, Quomodo autem creatura in Deo esse potest? etenim Deus natura simplicis est, non coniunctæ. Ergo hæc non est concedenda, Christus est creatura.

Respondet dicendum, quod sicut Hieron. dicit ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Vnde cum hæreticis, nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori fauere videamus. Arriani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solum ratione humane nature, sed etiã ratione diuine personæ. Et ideo non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre, sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam. Ea vero, de quibus suspicari non potest, quod diuina persona conueniant secundum

cundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humane nature: sicut simpliciter dicimus Christum esse passum, mortuum, & sepultum. Sicut etiam in rebus corporalibus, & humanis, ea, que in dubitationem venire possunt, au conueniant toti vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, id est, sine determinatione: non enim dicimus, quod Aethiops est albus, sed quod est albus secundum dentes. Dicimus autem absque determinatione, quod est crispus: quia hoc non potest ei conuenire, nisi secundum capillos.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquando Sancti Doctores causa breuitatis determinatione ommissa, nomine Creatura vtuntur circa Christum: est tamen in eorum dictis subintelligenda.

Ad secundum dicendum, quod omnes proprietates humane nature, sicut, & diuinae possunt aequaliter dici de Christo. Vnde, & Damasc. dicit in 3. lib. quod Christus, qui Deus est, & homo, dicitur & creabilis, & increabilis, partibilis, & impartibilis. Sed tamen illa, que dubitationem habent circa alterutram naturam, non sunt dicenda absque determinatione. Vnde ipse postea alibi subdit, ipsa vna hypostasis, scilicet Christi, & increata est Deitate, & creata est humanitate. Sicut, & e conuerso non esset dicendum sine determinatione, Christus est incorporeus, vel impassibilis ad euitandum errorem Manichei, qui posuit Christum verum corpus non habuisse, nec vere passum esse: sed dicendum est cum determinatione, quod Christus secundum Deitatem est incorporeus, & impassibilis.

Ad tertium dicendum, quod de natiuitate ex Virgine, nulla dubitatio potest esse, quod conueniat personae filij Dei, sicut potest esse de creatione. Et ideo non est similia ratio vtrouique.

Forma Textus.

RESPONDET primo S. D. quaesito vnica conclusione, deinde proposita, vel magis insinuata vna distinctione, statuit duas regulas.

CONCL. est: Non est absolute dicendum, quod Christus est creatura, vel minor patre, sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam: Probatur: quia cum haereticis, nec nomina debemus habere communia; ergo non est absolute dicendum, &c. Antecedens probatur: Primo auctoritate Hieronymi, qui dicit, quod ex verbis in ordinare prolatis incurritur haeresis. Secundo probatur, quia sic videremur fauere eorum errori. Consequencia vero probatur: quia Arriani haeretici dixerunt, Christum esse creaturam, & minorem patre, non solum ratione humane nature, sed etiam ratione diuinae personae.

Distinctio est: Ea que Christo conueniunt ratione humane nature, sunt in duplici differentia: Nam quaedam sunt, de quibus dubitari potest, quod diuinae personae conueniant secundum seipsam: Quaedam vero sunt, de quibus nulla potest esse suspicio, quod diuinae personae conueniant secundum seipsam, sed clare constat ea illi conuenire ratione humanitatis assumptae.

Prima Regula est: Ea, que ita Christo conueniunt ratione humane nature, vt dubitari de eis possit, quod diuinae personae conueniant, non possunt simpliciter dici de Christo.

Secunda Regula est: Ea, de quibus suspicari non potest, quod diuinae personae conueniant secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humane nature: Manifestatur haec regula: quia simpliciter dicimus, Christum esse passum, mortuum & sepultum. Deinde probantur ambae simul ex communi vsu loquendi in rebus corporalibus & humanis, in quibus quaedam sunt, que secundum se communia sunt toti & parti, ac proinde dubitari potest, an conueniant toti vel parti, vt esse albus: Quaedam autem propria sunt

A vni soli parti, vt esse crispum. Et ea quidem, que secundum se communia sunt toti & parti, si alicui parti tantum insunt, non attribuuntur toti simpliciter, id est sine determinatione, quia non dicimus, quod Aethiops est albus; quia facile quis opinari posset illum esse album secundum se totum, sed dicimus, quod est albus secundum dentes. Quae autem propria sunt vni parti, simpliciter, id est absque determinatione, attribuuntur toti: dicimus enim absque determinatione, hunc hominem esse crispum, quia crispitudo non potest homini conuenire, nisi secundum capillos.

Expositio Textus.

DVO SVNT in hoc discursu, quorum explicatio legenda est apud Caietanum. Primum est illud antecedens: Cum haereticis nec nomina debemus habere communia. Secundum est illud assumptum ad probationem consequentiae: Arriani dixerunt Christum esse creaturam, & minorem patre.

QVÆRVNT hic expositores; an haec propositio: Christus est creatura, non ea tantum ratione sit vitanda, quia periculum habeat erroris, sed etiam, quia falsa sit in rigore, & in proprietate sermonis: Ratio dubitandi est: quoniam ex Sanctis Patribus quidam negant & quidam affirmant, Christum dominum esse creaturam, & magna est inter Scholasticos concertatio, & S. Doct. hic diuersam videtur habere doctrinam ab ea, quam alibi tradidit, vt notant hic recentiores. Ex quibus Med. & Aluar. affirmant D. Thom. hic & alibi in ea fuisse sententiam, quae docet praedictam propositionem in Rigore & proprietate sermonis esse falsam. Vasquez autem sequutus Caietanum, ait & pro posse defendit eam esse veram, & solum propter erroris periculum esse cauendam. Cuius argumentis plene satisfacit Aluar. proposita distinctione nititur vtramque sententiam conciliare, sed eam conciliationem impugnat Vasquez quibusdam non satis efficacibus argumentis. Aliam conciliationem adhibet dictis S. Thom. Bergomas in Aurea Tabula, dubio 1213, sed lectori sufficere poterunt ea, quae scribuntur hic Medi. & Aluar. d. sp. 70.

ARTICVLVS IX.

D Virum hac sit vera, iste homo, demonstrato Christo, incepit esse?

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod ille homo, demonstrato Christo incepit esse. Dicit enim Augustinus super Ioann. Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei, & hominum, homo Iesus Christus. Sed illud, quod non semper fuit, incepit esse. Ergo ille homo, demonstrato Christo, incepit esse.

Præterea: Christus incepit esse homo. Sed esse hominem, est esse simpliciter. Ergo ille homo incepit esse simpliciter.

Præterea: Homo importat suppositum humane nature. Sed Christus non semper fuit suppositum humane nature. Ergo ille homo incepit esse.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. vi. Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in secula.

Respondet dicendum, quod non est dicendum, quod ille homo, demonstrato Christo, incepit esse, si nihil addatur, & hoc duplici ratione. Primo quidem: quia haec locutio est simpliciter falsa, secundum sententiam catholicam fidei: quae ponimus in Christo vnum suppositum, & vnam hypostasim, sicut, & vnam personam. Secundum hoc enim oportet, quod in hoc, quod dicitur, iste homo, demonstrato Christo, designetur suppositum æternum: cuius æternitati repugnat incepit esse. Vnde haec est falsa, hic homo

homo incepit esse. Nec obstat quod incipere esse conuenit humana natura, quæ significatur, per hoc nomen homo: quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito, ut supra dictum est. Secundo, quia etiam si esset vera, non tamen esset ea viuendum absque determinatione, ad cuius uitandum hæc est Arrii: quia sicut persona filij Dei attribuit, quod esset creatura, & quod esset minor Patre, ita attribuit ei, quod esse incepit, dicens quod erat, quando non erat.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas ista est intelligenda cum determinatione: ut scilicet dicamus, quod homo Iesus Christus non fuit antequam mundus esset, secundum humanitatem.

Ad secundum dicendum, quod cum hoc verbo incipit, non sequitur argumentum ab inferiori ad superius: non enim sequitur, hoc incipit esse album, ergo incipit esse coloratum. Et hoc ideo, quia incipere, importat nunc esse, & non prius: non autem sequitur, hoc non erat prius album, ergo non erat prius coloratum. Esse autem simpliciter, est superius ad esse hominem: unde non sequitur, Christus incepit esse homo, ergo incepit esse.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen homo, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quæ incepit esse: tamen supponit suppositum æternum, quod esse non incepit. Et ideo, quia secundum, quod ponitur in subiecto, tenetur pro supposito, secundum autem, quod ponitur in predicato, refertur ad naturam, ideo hæc est falsa, Homo Christus esse incepit: sed hæc est vera, Christus incepit esse homo.

Forma Textus.

CONCLVS. ista: Hæc est falsa: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse. Probatur dupliciter: Primo, quia in hoc quod dico: Iste homo demonstrato Christo demonstrato suppositum æternum; ergo hæc est falsa: Hic homo, demonstrato Christo, incepit esse. Antecedens probatur: quia secundum sententiam Catholicæ fidei in Christo vnus est tantum suppositum æternum, sicut & vna persona; ergo. Consequentia vero probatur: quia æternitati suppositi siue personæ repugnat incipere esse. Hinc rationi responderi potest dicendo, quod hoc nomen homo non designat suppositum; sed significat humanam naturam, cui conuenit incipere esse: sed hæc responsionem reiicit S. D. ut fallam: quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito. Secundo probatur conclusio: quia vitandus est error Arrii, qui sicut personæ filij Dei attribuit, quod esset creatura, & quod esset minor patre, ita attribuit ei, quod esse incepit dicens, quod erat, quando non erat; ergo etiam si esset vera dicta propositio, non tamen esset ea viuendum absque determinatione.

Controuerfia Vnica.

De veritate conclusionis: An scilicet hæc propositio: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse, sit vera in proprietate sermonis?

Sententia Doctorum.

PRIMA sententia est Scoti & sequacium; inter quos est Valq. Hi dicunt dictam propositionem esse veram & propriam.

Secunda sententia est, Dur. dicentis prædicatum illud incepit esse distinguendum esse: nam si refertur ad suppositum ratione ipsius suppositi, falsa est (inquit) propositio; si vero ad suppositum refertur ratione humanitatis, vera est.

Tertia sententia est S. Tho. negantis, eam esse veram, sententiam hanc tuentur Capr. Caiet. Medi. Suar. Val. Aluar. & alij non vulgares Scolastici, &

est valde consona diuinis scripturis & doctrina Patrum.

Quæstio hæc summa cum breuitate est à nobis definienda; quoniam de ea late ac erudite differunt Cai. & Alu.

Notandum est igitur primo ex D. Tho. hic & supra art. 7. ad 4. terminum in subiecto positum non teneri formaliter, sed materialiter pro supposito; & quamuis non oporteat, ut propositio vera sit, omnia prædicata dicta de subiecto conuenire supposito ratione suppositi, sed quædam etiam illi possint conuenire ratione naturæ; sicut cum dico: album disgregat; necesse tamen est ut quod dicitur de subiecto, non repugnet supposito, ita ut non sufficiat illud non repugnare naturæ, aut illi conuenire. Cum igitur in hac propositione Iste homo siue Christus incepit esse, hoc prædicatum incepit esse repugnet supposito; pro quo supponit subiectum, videlicet Iste homo; ideo simpliciter est falsa dicta propositio.

Secundo dicendum est ex Cai. nomen posse dupliciter importare aliquod totum: Vno modo, ut significet per se primo totum ipsum seu compositum catechorematicæ, & supponat pro illo; ut hoc nomen, ænea sphaera: Alio modo, ut significet quidem totum, non tamen principaliter, vel per se primo illud significet aut supponat pro illo, sed principaliter supponat pro altera parte reliquam connotando. Si nomen significet totum primo modo, de hoc toto dici potest simpliciter, quod incipiat esse, quando incipere esse dicitur de vna parte illius cum ordine seu determinatione ad alteram; Unde si hæc est vera: æs incepit esse sphericum, hæc etiam erit vera: sphaera ænea incepit esse: & similiter si hæc vera est. Sortes incepit esse albus; hæc etiam erit vera: Sortes albus incepit esse. Si vero importet totum secundo modo, non potest simpliciter de eo dici, quod incipiat esse, quando incipere esse dicitur de vna parte cum ordine seu determinatione ad alteram, ut in proposito: nam quia iste homo siue Christus significat totum secundo modo; (significat enim totum hoc, quod est suppositum diuinum, & natura humana, sed pro sola hypostasi supponit, connotando naturam) ideo licet iste, videlicet suppositum diuinum, incipiat esse homo, non sequitur tamen, hunc hominem incipere esse; quia daretur intelligi personam incipere esse.

Tertio aduertendum est, propositionem hanc: Iste homo incepit esse, habere duas exponentes, alteram affirmatiuam, videlicet; iste homo quandoque fuit; alteram negatiuam, videlicet; Iste homo immediate ante illud tempus non fuit, quæ est propositio de secundo adiacente, & negat pro toto tempore præcedente ab isto homine esse simpliciter, & non tantum esse hominem; quod est negare esse de supposito diuino, pro quo supponit hoc subiectum. Iste homo: negatio enim destruit totum id, quod significatur siue importatur per hoc subiectum iste homo, scilicet suppositum, pro quo supponit iste homo & humanitatem, quæ formaliter eisdem terminis significatur.

Quarto obseruandum est, quod esse simpliciter potest sumi duobus modis: Primo pro esse substantiali, quod distinguitur contra esse secundum quid, quod est esse accidentale: & in hoc sensu Christum aut Verbum incarnatum esse hominem, est quoddam esse simpliciter, quia est esse substantiale, & non accidentale. Alio modo sumi potest, esse simpliciter, prout est esse sine vlla additione seu determinatione; ut declarat Aristot. in secundo Topic. illis verbis simpliciter dico, quod nullo addito dico; & in hoc secundo sensu sumitur esse in illa

Resolutio. Ostenditur hanc propositionem: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse, falsam esse in proprietate sermonis.

illa secunda exponente, videlicet: iste homo immediate ante illud tempus non fuit; quia praedicatum illud non fuit, tollit esse abique vlla determinatione, & ita significat subiectum absolute non fuisse, non autem significat illud non fuisse hominem, aut aliquod esse tale non habuisse.

Postremo notandum est, SS. Patres, quorum dicta refert Vasquez disp. 67. cum aiunt, Christum esse nomen hominis, aut ad eam naturam, qua homo est, praecipue pertinere, & similia, nihil aliud voluisse significare, quam Christum esse verum hominem, sicut est verus Deus: Nec tamen per hoc negare voluerunt nomen hoc, Christum vel iste homo, cum ponitur ex parte subiecti, supponere materialiter pro supposito; vt hic etiam aduertit Aluar. disp. 71.

Conclusio. Ex quibus sequitur haec VNICA CONCLUSIO: Haec propositio est falsa: Christus, siue iste homo, demonstrato Christo, incepit esse. Haec patet ex dictis.

Argumentum. CONTRA hanc conclus. sunt argumenta Scoti & Dur. quae referunt & soluunt Capr. Caiet. Medii & alij. Contra eandem sunt argumenta Vasquezii, quae refert & soluit Aluar. in allegata disp. 71.

ARTICVLVS X.

Virum hac sit vera: Christus secundum quod homo est creatura.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quod haec sit falsa. Christus, secundum quod homo est creatura, vel incepit esse. Nihil enim in Christo est creatum nisi humana natura. Sed haec est falsa: Christus, secundum quod homo, est humana natura. Ergo haec etiam est falsa, Christus secundum quod homo, est creatura.

Præterea, praedicatum magis praedicatur de termino in reduplicatione posito, quam de ipso subiecto propositionis: sicut si dicam, corpus, secundum quod coloratum, est visibile, sequitur, quod coloratum sit visibile. Sed haec non est absolute (sicut dictum est) concedenda, homo Christus est creatura. Ergo neque haec, Christus, secundum quod homo, est creatura.

Præterea, quicquid praedicatur de quocunque homine, secundum quod homo, praedicatur de eo per se, & simpliciter: idem enim est per se, & simpliciter: idem enim est per se, & secundum quod ipsum, vt dicitur 5. Meta. Sed haec est falsa, Christus est per se, & simpliciter creatura. Ergo etiam, haec est falsa, Christus, secundum quod homo est creatura.

Sed contra, omne quod est, vel est creator, vel creatura. Sed haec est falsa, Christus secundum quod homo, est creatura.

Respondeo dicendum, quod, cum dicitur Christus, secundum quod homo, hoc nomen homo potest resumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturae. Si quidem resumatur ratione suppositi, cum suppositum humane naturae in Christo sit aeternum, & increatum, haec erit falsa, Christus, secundum quod homo est creatura. Si vero resumatur ratione humane naturae, siue secundum humanam naturam, conuenit sibi esse creaturam, vt supra dictum est. Sciendum tamen, quod nomen sic resumptum in reduplicatione, magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito: resumitur enim in vi praedicati, quod tenetur formaliter. Idem enim est dictum, Christus secundum quod homo, ac si diceretur, Christus secundum quod est homo. Et ideo haec magis est concedenda, quam neganda. Christus, secundum quod homo, est creatura. Si tamen adderetur aliquid, per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda, quam concedenda, puta si diceretur, Christus, secundum quod hic homo, est creatura.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus non sit

A humana natura: est tamen habens humanam naturam. Nomen autem creatura natum est predicari, non solum de abstractis, sed etiam de concretis: dicimus enim, quod humanitas est creatura. & quod homo est creatura.

Ad secundum dicendum, quod ly homo, secundum quod ponitur in subiecto, magis respicit suppositum: secundum autem, quod ponitur in reduplicatione, magis respicit naturam, vt dictum est. Et quia natura est creata, suppositum vero increatum: ideo licet non concedatur ista simpliciter, Homo Christus est creatura: conceditur tamen ista, Christus secundum quod homo, est creatura.

Ad tertium dicendum, quod cuiuslibet homini, qui est suppositum solius naturae humane, competit, quod non habeat esse, nisi secundum humanam naturam, & ideo de quolibet tali supposito sequitur, si secundum quod homo est creatura, quod sit creatura simpliciter. Sed Christus non solum est suppositum humane naturae, sed etiam diuinae, secundum quam habet esse increatum: & ideo non sequitur, si secundum quod homo, est creatura, quod sit simpliciter creatura.

Sensus Quaestii.

DUPLICEM sensum illius particulæ secundum quod, siue in quantum declarant expositores infra notandi, dicentes eam posse sumi reduplicatiue aut specificatiue; videtur autem hic sumi specificatiue: quia sic etiam sumitur in conclusionibus, quarum sensus debet sensui quaesiti consonare.

Forma Textus.

PROPOSITA vna distinctione cum differentia membrorum ad inuicem, respondetur quaesito quatuor conclusionibus.

Distinctio est: Cum dicitur: Christus secundum quod homo, hoc nomen homo potest resumi in reduplicatione, vel ratione naturae. Differunt hi duo modi, quod nomen resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito: quod probatur: quia nomen resumitur in vi praedicati; quod tenetur formaliter; ergo magis proprie tenetur pro natura.

PRIMA CONCLVS. Si hoc nomen homo resumatur ratione suppositi, haec erit falsa: Christus secundum quod homo, est creatura. Probatur quia supposita humane naturae in Christo est aeterna & increatum; ergo.

SECUNDA CONCLVS. Si hoc nomen homo resumatur ratione humane naturae, sic est vera dicta propositio. Probatur: quia Christo ratione humane naturae, siue secundum humanam naturam conuenit esse creaturam, vt dictum est art. 8.

TERTIA CONCL. Haec magis est concedenda, quam neganda: Christus secundum quod homo, est creatura. Probatur ex dicta differentia: quia nomen resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito, &c.

VLTIMA CONCL. est: Si nomini homo adderetur aliquid in reduplicatione, per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda. Declaratur in hac propositione: Christus secundum quod hic homo, est creatura: haec enim tanquam falsa neganda est.

Expositio Textus.

PRO INTELLIGENTIA praesentis articuli tria notanda sunt.

Primum est, dictiones illas secundum quod, & in quantum dupliciter sumi posse, scilicet reduplicatiue & specificatiue, quas duas acceptiones explicat Med. super hoc art. & late Vasq. disp. 66. cap. 2. sumitur hic a D. Tho. secundo modo, scilicet specificatiue; vt hic obseruat Caiet. & post eum praedicti expositores.

Secun-

Secundum est, secundam & tertiam conclusio-
nem esse veras improprietate sermonis, vt hic ad-
uersus Scotum explicant optime Caiet. Medi. &
Valq. in dicto cap. 2. qui omnes referunt & soluunt
argumenta Scoti.

Tertium est Valq. immerito friuolis quibusdam
argumentis impugnare vltimam concl. D. Tho.
quibus optime respondet Aluar. disp. 72. vbi dicta
concl. probat duobus efficacibus argumentis.

ARTICVLVS XI.

Vtrum hac sit vera: Christus, secundum quod ho-
mo, est Deus.

3. d. 10. q. 1.
1. a. 1. q. 1. &
q. 3. c.

AD vndecimum sic proceditur. Videtur, quod Chri-
stus, secundum quod homo, sit Deus. Christus enim
est Deus per gratiam vnionis. Sed Christus, secundum quod
homo, habet gratiam vnionis. Ergo Christus secundum
quod homo, est Deus.

Præterea: Dimittere peccata, est proprium Dei, secun-
dum illud Isa. 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas
propter me. Sed Christus, secundum quod homo, dimittit
peccata: secundum illud Matth. 9. Vt autem sciatis, quia
filius hominis habet potestatem in terra dimittendi pecca-
ta, &c. Ergo Christus secundum quod homo, est Deus.

Præterea: Christus non est homo communis, sed est ho-
mo iste particularis. Sed Christus, secundum quod est iste
homo, est Deus: quia in isto homine designatur suppositum
æternum, quod naturæ aliter est Deus. Ergo Christus, secun-
dum quod homo, est Deus.

Sed contra: illud quod conuenit Christo, secundum quod
homo, conuenit cuilibet homini. Si ergo Christus, secundum
quod homo, est Deus, sequitur quod omnis homo sit Deus:
quod patet esse falsum.

Respondeo dicendum, quod iste terminus, homo, in re-
duplicatione positus, potest dupliciter accipi. Vno modo
quantum ad naturam: & sic non est verum, quod Chri-
stus, secundum quod homo, sit Deus: quia humana natura
est distincta à diuina secundum differentiam naturæ. Alio
modo potest accipi ratione suppositi: & si cum supposito
natura humane in Christo, sit persona filij Dei, cui per se
conuenit esse Deum, verum est quod Christus, secundum
quod homo, sit Deus. Quia tamen terminus in reduplica-
tione positus magis proprie tenetur pro natura, quam pro
supposito (vt supra dictum est) ideo magis est ista neganda,
Christus, secundum quod homo, est Deus, quam sit affir-
manda.

Ad primum ergo dicendum, quod non secundum idem
conuenit alicui moueri ad aliquid, & esse illud: nam mo-
ueri conuenit alicui ratione materie, vel subiecti, esse au-
tem in actu, ratione forme. Et similiter non secundum idem
conuenit Christo ordinari ad hoc, quod sit Deus per gra-
tiam vnionis, & esse Deum. Sed primum conuenit sibi se-
cundum humanam naturam, secundum vero secundum
diuinam. Et ideo hac est vera, Christus secundum quod ho-
mo, habet gratiam vnionis: non tamen ista, Christus se-
cundum quod homo, est Deus.

Ad secundum dicendum, quod filius hominis habet in
terra potestatem dimittendi peccata, non virtute huma-
ne nature, sed virtute nature diuine. In qua quidem na-
tura consistit potestas dimittendi peccata per auctoritatem:
in humana autem natura consistit instrumentaliter, &
per ministerium. Vnde Chrysost. super Matth. hoc expo-
nens dicit: Signanter dixit, In terra dimittendi peccata:
vt ostenderet, quod humane nature potestatem diuinita-
tis vnuit indissolubili vnione: quia, & si factus est homo, ta-
men Dei Verbum permansit.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, iste homo,
pronomen demonstratiuum, hoc nomen homo trahit ad
suppositum. Et ideo magis est hac vera, Christus secundum
quod iste homo, est Deus: quam iste Christus secundum
quod homo, est Deus.

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæstio
tribus conclusionibus.

Distinctio est: iste terminus homo in reduplica-
tione positus potest dupliciter accipi: Vno modo
quantum ad naturam; Alio modo ratione suppo-
siti.

PRIMA CONCLVS. est: Si hic terminus homo in re-
duplicatione positus accipitur quantum ad naturam, nõ
est verum, quod Christus secundum quod homo, sit Deus.
Probatur: quia humana natura est distincta à di-
uina secundum differentiam naturæ; ergo.

SECUNDA CONCLVS. Si idem terminus accipia-
tur ratione suppositi, verum est, quod Christus secundum
quod homo, sit Deus. Probatur: quia suppositum na-
turæ humane in Christo est persona filij Dei; er-
go si idem terminus accipitur ratione suppositi,
&c. Antecedens patet ex supradictis. Consequen-
tia probatur: quia personæ filij Dei per se conue-
nit esse Deum.

TERTIA CONCLVS. Hæc propositio: Christus secun-
dum quod homo est Deus, magis est neganda, quam affir-
manda. Probatur: quia terminus in reduplicatio-
ne positus magis proprie tenetur pro natura, quã
pro supposito, vt dictum est in artic. præcedente.

Expositio Textus.

EX TERTIA conclusione & eius probatione
manifeste colligitur, quid simpliciter respon-
deri debeat ad quæsitum. Dicendum est enim,
propositionem illam: Christus secundum quod homo,
est Deus, falsum esse, vt etiam aduertit Suarez in
Commentario.

Vide præterea, quæ scribunt Caiet. & Med. cir-
carep. ad 3. argum. de veritate huius propositio-
nis: Christus in quantum hic homo est Deus, quam S. D.
ait esse veriorum illa: Christus in quantum homo, est
Deus. cuius oppositum absque legitimo fundamē-
to docet Valquez disp. 69. cap. 1. vbi cum Durando
sic arguit: Pronomen hic additum nomini homo
non determinat ipsum, vt significet suppositum,
neque alio modo significat naturam quam signi-
ficabat idem nomen sine illo: solum enim hoc ef-
ficat pronomen, vt significetur natura singularis,
quæ antea communis significabatur. Sed facile sol-
uitur: Falsum enim assumit, vt patet ex resp. S. 1. ad Solus.

3. & oppositam veritatem, videlicet nomen illud
homo in reduplicatione positum trahi per pronomen
demonstratiuum hic ad suppositum, probat
optimis argumentis Medina.

ARTICVLVS XII.

Vtrum hac sit vera: Christus secundum quod h mo, est
hypostasis, vel persona.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod Chri-
stus secundum quod homo, sit persona. Illud enim
quod conuenit cuilibet homini, conuenit Christo, secun-
dum quod est homo: est enim aliis hominibus simile: secun-
dum illud Phil. 2. In similitudinem hominum factus: Sed
omnis homo est persona. Ergo Christus, secundum quod ho-
mo, est persona.

Præterea: Christus, secundum quod homo, est substan-
tia rationalis nature, non autem substantia vniuersalis:
ergo substantia indiuidua. Sed nihil aliud est persona, quã
rationalis nature indiuidua substantia, vt Boetius dicit in
lib. de duab. nat. Ergo Christus, secundum quod homo, est
persona.

Præterea: Christus, secundum quod homo, est res huma-
ne nature, & suppositum, & hypostasis eiusdem nature.

Lz Sed

Sed omnis hypostasis & suppositum, & res humane natura, est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Sed contra, Christus, secundum quod homo, non est persona eterna. Si ergo Christus, secundum quod homo, sit persona, sequeretur, quod in Christo sint due persone, vna temporalis, & alia eterna. Quod est erroneum, vt supra dictum est.

Respondendo dicendum, quod sicut supra dictum est, iste terminus homo, in reduplicatione positus, potest accipi, vel ratione suppositi, vel ratione nature. Cum ergo dicitur, Christus secundum quod homo, est persona, si accipiatur ratione suppositi, manifestum est, quod Christus secundum quod homo, est persona, quia suppositum humane nature nihil est aliud, quam persona filij Dei. Si autem accipiatur ratione nature, sic potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt intelligatur, quod natura humana competat esse in aliqua persona. Et hoc etiam modo verum est: omne enim quod subsistit in humana natura, est persona. Alio modo potest intelligi, vt natura humane in Christo propria personalitas debeat, causata ex principis humane nature. Et sic Christus secundum quod homo, non est persona: quia humana natura non est per se seorsum subsistens à diuina natura: quod requirit ratio persone.

Ad primum ergo dicendum, quod omni homini conuenit esse personam, secundum quod omne subsistens in humana natura est persona. Sed hoc est proprium homini Christo, quod persona subsistens in humana natura eius, non sit causata ex principis humane nature, sed sit eterna. Et ideo vno modo est persona, secundum quod homo, alio modo non, sicut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod substantia individua, que ponitur in definitione persone, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab aliis, aliquoquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quedam individua: qui tamen est substantia individua, sicut in alio existens, non potest dici persona. Et eadem ratione, nec humana natura in Christo: que tamen potest dici individuum, vt singulare quoddam.

Ad tertium dicendum, quod sicut persona significat quid completum, & per se subsistens in natura rationali, ita hypostasis, suppositum, & res nature in genere substantie significant quiddam per se subsistens. Vnde sicut humana natura non est per se persona seorsum à persona filij Dei, ita etiam non est per se hypostasis, vel suppositum, vel res nature. Et ideo in sensu, in quo negatur ista, Christus secundum quod homo, est persona, oportet etiam negari omnes alias.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione cum subdiuisione alterius membri respondetur quesito tribus conclusionibus.

Distinctio est: Iste terminus homo in reduplicatione positus potest accipi, vel ratione suppositi, vel ratione nature, & hoc secundo modo dupliciter: vno modo, vt intelligatur quod nature humane competat esse in aliqua persona; alio modo, vt nature humane in Christo propria personalitas debeat causata ex principis humane nature.

Prima conclusio. Si iste terminus homo in reduplicatione positus accipiatur ratione suppositi, manifestum est, quod Christus secundum quod homo, est persona. Probatur: quia suppositum humane nature nihil aliud est, quam persona filij Dei.

Secunda conclusio. Si iste terminus homo accipiatur in ratione nature, ita vt intelligatur, quod nature humane competat esse in aliqua persona, sic vera est dicta propositio. Probatur: quia omne, quod subsistit in humana natura, est persona.

Tertia conclusio. Si idem terminus accipiatur

ratione humane nature, ita vt sensus sit, quod natura humane in Christo propria personalitas debeat causata ex principis humane nature, sic Christus, secundum quod homo, non est persona: Probatur: quia humana natura non est per se seorsum subsistens à diuina natura; ergo. Probatur consequentia: quia ratio persone requirit subsistere per se.

Controuersia Vnica.

An hac propositio: Christus secundum quod homo est persona, sit vera in proprio sensu.

QUÆSTIO est inter Doctores: an hac propositio: Christus, secundum quod homo, est hypostasis, aut persona, vera sit in formali, & proprio sensu. Vt in dist. 69. c. 2. ait in nullo sensu, quem verba proprie reddere possunt, eam esse falsam.

Sententia
Doctorem.

S. Tho. autem in 3. dist. 10. q. 1. art. 2. quaestione 1. docet expresse dictam propositionem in proprio sensu falsam esse: nec oppositum asserit in hoc art. Quam sententiam secuti sunt Dur. eadem dist. & quaest. nu. 8. & ibidem S. Bonau. Palud. & Ricar. Medina super hoc art. Eandem docuit Alcius dorenensis lib. 3. summa, tract. 1. cap. 1. q. 8. & Aleniz 3. p. q. 6. membro 3. Qui tamen non conueniunt in assignanda ratione falsitatis dictæ propositionis.

Recolenda est in primis ea regula S. D. quam tradidit in duobus articulis precedentibus, videlicet, nomen in reduplicatione resumptum magis proprie teneri pro natura, quam pro supposito, & ideo, sicut hæc in proprio sensu, & simpliciter falsa est: Christus secundum quod homo est Deus, ita hæc in proprio & formali sensu falsa est: Christus secundum quod homo est hypostasis aut persona. Vnde S. Th. in 3. dist. 10. q. 1. art. 2. quaestione 1. huic quaestio respondens ait: In Christo non est, nisi vna persona, que est ab eterno: nullum autem æternum conuenit Christo, secundum quod homo, proprie loquendo; vt patet ex prædictis. Vnde hæc non est vera: Christus, secundum quod homo, est persona, nisi replicetur suppositum hominis, vt dicitur: Christus, secundum quod iste homo, est persona: hoc enim verum est: & ad secundum ait: Nec etiam Petrus, in quantum homo, est persona, sed secundum quod iste homo; quia hæc non est per se: homo est persona; sed hæc iste homo est persona. Ex quibus apparet D. Tho. non solum negare hanc in proprio sensu: Christus, secundum quod homo est persona, sed etiam hanc: Petrus secundum quod homo est persona.

Resolutio.
Ex quadam
regula S. D.
deducitur
nullum ex
tribus con-
clusi nibus
in textu p-
positi u ha-
bere proprium
sensum, si-
mulque p-
positionem
hanc in p-
prio, ac for-
mali sensu
falsam esse.

Secundo aduerte: Nullam ex tribus conclusionibus in textu propositis habere proprium sensum. Et de prima quidem patet ex prædicta regula D. Tho. De aliis vero duabus facile probatur eas non saluare proprium sensum dictæ propositionis: quia non saluant prædicationem in recto, sed in obliquo tantum, quod est derogare propositionem ad sensus improprios: prædicatio enim affirmatiua propria significat identitatem prædicati cum subiecto, & non solum aliquam coniunctionem, vt significat dicta propositio iuxta secundam & tertiam conclusionem D. Tho. His adde D. Tho. hic, & in tertio sent. proposito quaestio an hæc sit vera: Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona, adducere argumenta pro parte affirmante, & ea soluere, innuens hoc factum, dictam propositionem similiter esse falsam.

SIT igitur VNICA CONCLUSIO. Hæc propositio: Christus secundum quod homo est persona aut hypostasis, falsa est in sensu formali & proprio: Hæc patet ex dictis.

Contra

Obi. 1.

CONTRA conclus. sunt duo argumenta, quæ referunt, & soluit Medina super hoc artic. prope finem. Contra eandem conclus. argumentatur Vasquez. Primo: quia, etiam si nomen illud homo in reduplicacione positum supponat pro natura concrete significata, indirecte denotat suppositum; ergo significat naturam in supposito. Respon. falsum esse anted. ut patet ex Regula D. Thom. supranotata.

Solut.

Obi. 2.

Secundo: Siue fumatur illa particula secundum quod, ut nota specificacionis seu determinationis, siue ut denotat aliquam causam, siue ut nota perfectatis, est vera dicta propositio; ergo. Probat Antecedens, quo ad singulas partes, quas admittimus. Resp. Nullam esse consecq. nam licet his omnibus modis sit vera dicta propositio, non tamen est propria ob supra dictam causam; quia scilicet secundum nullam dictarum acceptionum saluatur prædicatio in recto, sed in obliquo tantum, nec significatur identitas prædicati cum subiecto, sed quædam coniunctio aut habitudo, ut patet applicanti, &c.

Solut.

A Enchi. Cum in forma Dei esset, formam serui accepit, vtrumque vnus, sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Ergo Christus est duo.

Præterea: Christus non est tantum homo: quia sic purus homo esset. Ergo est aliquid aliud, quam homo: & ita in Christo est aliud, & aliud. Ergo Christus est duo.

Præterea: Christus est aliquid, quod est Pater, & est aliquid quod non est Pater. Ergo Christus est aliquid, & aliud. Ergo Christus est duo.

Præterea: Sicut in mysterio Trinitatis sunt tres persone in vna natura: ita in mysterio Incarnationis sunt dua natura in vna persona. Sed propter vnitatem natura, non obstante distinctione persona, Pater, & Filius sunt vnus: secundum illud Ioann. 10. Ego, & Pater vnus sumus. Ergo non obstante vnitatem persone, propter dualitatem naturarum, Christus est duo.

Præterea: Philosophus dicit in tertio Phys. quod vnum, & duo denominatine dicuntur. Sed Christus habet dualitatem naturarum. Ergo Christus est duo.

Præterea: Sicut forma accidentalis facit alterum, ita forma substantialis aliud. ut Porphyrius dicit Sed in Christo sunt dua natura substantialis, humana scilicet, & diuina. Ergo Christus est aliud, & aliud. Ergo Christus est duo.

Sed contra est, quod Boet. dicit in libro de duab. natur. Omne quod est, in quantum est, vnum est. Sed Christum esse confitemur. Ergo Christus est vnus.

Respondeo dicendum, quod natura secundum se considerata, prout in abstracto significatur, non vere potest prædicari de supposito seu persona, nisi in Deo, in quo non differt, quod est, & quo est. ut in Prima parte habitum est.

C Christo autem cum sint dua natura, diuina scilicet, & humana, altera earum, scilicet diuina, potest de eo prædicari & in abstracto, & in concreto: dicimus enim, quod filius Dei, qui supponitur in hoc nomine, Christus, & est diuina natura, & est Deus. Sed humana natura non potest prædicari de Christo secundum se in abstracto, sed solum in concreto, prout scilicet significatur in supposito. Non enim vere potest dici, quod Christus sit humana natura: quia natura humana non est nata prædicari de suo supposito. Dicitur autem, quod Christus est homo sicut, & quod Christus est Deus. Deus autem significat habentem Deitatem: & homo significat habentem humanitatem. Aliiter tamen habens humanitatem significatur per hoc nomen homo, & aliter per hoc nomen Iesus, vel Petrus. Nam hoc nomen homo importat habentem humanitatem indistincte, sicut, & hoc nomen Deus, indistincte importat habentem Deitatem: hoc autem nomen Petrus, vel Iesus, importat distincte habentem humanitatem, scilicet sub determinatis individualibus proprietatibus: sicut & hoc nomen filius Dei, importat habentem Deitatem sub determinata proprietate personali. Numerus autem dualitatis in Christo ponitur circa ipsas naturas, & ideo si ambe natura in abstracto prædicarentur de Christo, sequeretur, quod Christus esset duo. Sed quia dua natura non prædicantur de Christo, nisi prout significatur in supposito, oportet secundum rationem suppositi prædicari de Christo vnum vel duo. Quidam autem posuerunt in Christo duo supposita, sed vnã personam, qua quidem videtur se habere secundum eorum opinionem, tanquam suppositum completum vltima completionem. Et ideo quia ponebant in Christo duo supposita, dicebant Christum esse duo neutraliter, sed quia ponebant vnã personam, dicebant Christum vnum masculinè. Nam neutrum genus designat quiddam informe, & imperfectum: genus autem masculinum designat quiddam formatum, & perfectum. Nestoriani autem ponentes in Christo duas personas, dicebant Christum non solum esse duo neutraliter, sed etiam duos masculinè. Quia vero nos ponimus in Christo vnã personam, & vnum suppositum (ut ex supra dictis patet) sequitur, quod dicamus, quod non solum Christus est vnus masculinè, sed etiam, quod est vnum neutraliter.

E Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non sit vnus, sed duo. Dicit enim August. in primo de Trin. quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus propter accipientem Deum: vtrumque autem homo propter acceptum hominem. Sed vtrumque dici non potest, nisi vbi sunt duo. Ergo Christus est duo. Præterea: Vbiunque est aliud, & aliud, ibi sunt duo. Sed Christus est aliud, & aliud: dicit enim Augustin. in Naz. in D. Thom. 3. partem.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De pertinentibus ad vnitatem in Christo quantum ad esse, in duos articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de his, quæ pertinent ad vnitatem in Christo in communi. Nam de his, quæ pertinent ad vnitatem, vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est: sicut supra determinatum est, quod in Christo non est vna tantum scientia & infra determinabitur, quod in Christo non est vna tantum natiuitas.

Considerandum est ergo, primo de vnitatem Christi quantum ad esse, secundo quantum ad velle, tertio, quantum ad operari.

Circa primum queruntur duo.

Primo, vtrum Christus sit vnus, vel duo.

Secundo, vtrum in Christo sit tantum vnã esse.

Ratio ordinis.

ORDINEM huius quæstionis ad præcedentes explicant S. D. & Cai. qui etiam rationem assignat ordinis articulorum in principio, tam huius, quam sequentis articuli. Ad cuius ampliorem intelligentiam aduerte vnus esse passionem entis, non solum nominaliter, sed etiam participaliter sumpti: cum igitur in Christo sit duplex esse, scilicet esse substantiale in compositione consistens, & esse existentia in rerum natura, in primo articulo queritur de vnitatem consequente primũ esse, secundum quod esse indiuisum dicitur Christus quid vnus simpliciter. Deinde queritur de vnitatem, aut pluralitatem esse existentia, secundum quod esse non dicitur Christus simpliciter vnus aut plura, sed dicitur habens vnus esse existentia, ut patet ex secundo articulo.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit vnus, vel duo.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Christus non sit vnus, sed duo. Dicit enim August. in primo de Trin. quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus propter accipientem Deum: vtrumque autem homo propter acceptum hominem. Sed vtrumque dici non potest, nisi vbi sunt duo. Ergo Christus est duo. Præterea: Vbiunque est aliud, & aliud, ibi sunt duo. Sed Christus est aliud, & aliud: dicit enim Augustin. in Naz. in D. Thom. 3. partem.

3. d. 6. q. 2. a. 1. & d. 21. q. 2. a. 1. q. 2. 16. Trin. quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus propter accipientem Deum: vtrumque autem homo propter acceptum hominem. Sed vtrumque dici non potest, nisi vbi sunt duo. Ergo Christus est duo. Præterea: Vbiunque est aliud, & aliud, ibi sunt duo. Sed Christus est aliud, & aliud: dicit enim Augustin. in Naz. in D. Thom. 3. partem.

Tex. 18.

D. 1081.

p. p. 9. 4. 3. & 4.

q. 2. a. 2. &

